IO. GOTTL. HEINECCII I. C.

POT. BORUSS. REG. QUONDAM A CONSIL. SANCTIOR.
IUR., ET PHILOS. IN ACCAD. HALENS. PROF. P. O.

RESPONSA IURIS

SUPER

FEUDIS LANGHARUM

POT. SARDIN. REGI CESSIS

ET *SUPER*

TABULIS SUPREMIS USIMBARDIANIS

EX SCHEDIS PATERNIS EDIDIT

IO. CHRIST. GOTTL. HEINECCIUS

POT. BORUSS. REG. A CONSIL. AULIC.
ET IN REGIA ACCADEMIA EQUESTRI
LIGNICENSI PROF. IUR. PRIMARIUS.

VRATISLAVIAE
IMPENSIS IO. IACOBI KORNII.
CIↃ. IↃ. CCXXXXIIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

RESPONSUM I.

DE QUAESTIONIBUS

QUIBUSDAM AD FEUDA LANGHARUM POT. SARDINIAE REGI CESSA PERTINENTIBUS.

§. I. Rogatus ſententiam de quibuſdam quaeſtionibus, ad terras, & feuda Italiae, quae Langharum nomine vulgo veniunt, pertinentibus, refugiſſe me initio illam reſpondendi provinciam, fateor, partim, quod oneris illius magnitudinem cum viribus meis ſollicite compararem, partim, quod ipſae quaeſtiones mihi propoſitae ita viderentur comparatae, ut in quamcumque partem dicerem ſententiam, non aliquos ordinis mei homines, (quorum fortaſſis impetum utcumque ſuſtinerem,) ſed ſummos Principes, ac perſonas illuſtres, quas ego, pro eo ac decet, humillime veneror, adverſarios eſſem habiturus. Sed re paullo accuratius mecum agitata, quoniam a me id ſolum requiri animadverteram, ut quid primum ex communi illo gentium iure, quod ipſa natura inter omnes homines conſtituit, deinde ſecundum Imperii noſtri leges, & conſuetudines, ad quaeſtiones illas reſpondendum eſſe videatur, diligenter, ac perſpicue explicarem: id ego onus tanto ſuſcepi alacrius, quanto liberior ab odio, ſtudioque animus rem omnem ad ſolas iuſtitiae, atque aequitatis rationes exigere illico decrevit. Poſſum enim omni adſeveratione adfirmare, me illius, ſive Principis, ſive privati, qui me conſulendum

a pu-

Digitized by Google

putavit, nomen, dignitatem, conditionemque ſcire iuxta cum ignariſſimis, virumque illuſtrem, quo ille internuncio uſus eſt, in litteris ad me ea de re datis nihil omnino expreſſiſſe, ex quo, in utram partem reſponſum deſideretur, vel ſuſpicari ſaltim licuiſſet. Quamobrem ſicuti hactenus integra omnia habeo: ita, miſſis ambagibus, rem ipſam adgredior, repetiturus primum *Speciem* mihi exhibitam cum quaeſtionibus propoſitis, ac deinde ad *Quaeſtiones* ipſas ordine reſponſurus. Quod ut feliciter cedere iubeat ſummum, quod omnia moderatur, Numen, ex animo precor.

SPECIES FACTI.

§. II. Biennium, & quod excurrit, circumactum eſt, ex quo fervente inter Auguſtiſſimum Imperatorem, Regeſque foederatos bello, de componenda inter potentiſſimos Principes pace ſerio cogitatum eſt, iſtiſque ſaluberrimis conſiliis faviſſe Deum, ipſe demum eventus comprobavit. Nam v. Non. Octobres anni MDCCXXXV. Viennae in certas futurae pacis leges, quas Articulos praeliminares vocant, conſenſum, & non multo poſt utrimque ab armis diſceſſum eſt. Inter articulos iſtos, quibus die XVIII. Maii inſequentis anni MDCCXXXVI. totius Imperii conſenſus, Auguſtiſſimi Imperatoris ratihabitione, more maiorum firmatus, acceſſit, (1) in primis huc pertinet quartus, quo inter alia placuit, ut Rex Sardiniae potentiſſimus habeat ſuperioritatem territorialem in terris, quae vulgo Langharum nomine veniunt, & quarum index bene longus ipſis illis articulis prae-

(1) *Vide* Antonii Fabri *Cancellaria Status, Par. LXVII. Cap. XXI.*

Digitized by Google

praeliminaribus eſt ſubnexus. Praeterea hanc quoque declarationem adiecit Imperator Auguſtiſſimus, feuda illa Langharum ea lege ſubfutura eſſe potentiſſimi Sardiniae Regis dominio, ut illi integrum ſit, iura & regalia, quae ad ſuperioritatem territorialem referuntur, omnia in illis exercere, ſuſcepto tamen onere, poſſeſſores eorumdem feudorum ratione immedietatis indemnes praeſtandi. Denique omnibus harum terrarum, feudorumque poſſeſſoribus, ac vaſallis ſerio mandavit, ut Regiam Maieſtatem Sardinicam, eiuſque deſcendentes in poſterum pro immediatis veris ac legitimis dominis ſuis agnoſcerent, iiſdem ſolitum homagium, reverentiam, ac obſequium praeſtarent, eaque omnia facerent, quae fideles, & obedientes vaſallos, & ſubditos veris, & legitimis dominis praeſtare deceat, atque oporteat, Quibus Auguſtiſſimi Imperatoris mandatis eatenus eſt ſatisfactum, ut poſſeſſores Langharum ſeſe potentiſſimo Sardiniae Regi, eiuſque poſteris homagii, ac fidelitatis iureiurando re ipſa obſtrinxerint.

§. III. Enimvero ſunt inter eos feudorum Langharum poſſeſſores, qui ſibi ſalva atque illibata eſſe oportere exiſtimant iura quaedam tam eminentia, atque eximia, ut cum ſuperioritate illa territoriali, potentiſſimo Sardiniae Regi tam ſollemniter ceſſa, vix conſiſtere videantur. Alii enim iactant privilegia, quibus multo ante hanc ceſſionem ſibi, ſuaeque familiae collatam eſſe probant dignitatem vicariatus, eamque cum certis iuribus luculentiſſimis coniunctam eſſe, contendunt, quae iſtius ceſſionis cauſſa abdicare non teneantur. Alii, quamvis vicariatum ſibi datum eſſe, non adeo liquido poſſint demonſtrare, ſe tamen in quaſi poſſeſſione eorum iurium eſſe

aiunt,

aiunt, ex quibus ſibi iure quodam ſuo argumentum ducere poſſe videantur, ſibi vere competere ſplendidiſſimam illam vicariatus dignitatem.

§. IIII. Sunt praeter hos, qui *Comitivae Palatinae* honores ſe iam antiquitus ab Auguſtiſſimis Imperatoribus accepiſſe, adfirmant, ob eoſque ſibi vindicant iura, ac privilegia luculentiſſima, veluti adpellationes a quacumque audientia per Italiam, in cauſſis tam criminalibus, quam civilibus, interpoſitas, recipiendi, earum cauſſas cognoſcendi, ſententiiſque terminandi, iudicata exſequendi, cognitionem, atque exſequutionem aliis mandandi, creandi, conſtituendique iudices, poteſtatem cognoſcendi, ſententias ferendi, exſequendique in provinciis habituros. Aliis diplomatibus comitibus illis ſacri palatii tribuuntur iura, tutores, curatoreſque pupillis, minoribus, aliiſque, qui rebus ipſi ſuis ſupereſſe non poſſint, in Italia dandi, ſuper alienationibus rerum immobilium, quae ad huiuſmodi perſonas pertineant, decreta, cauſſa cognita, interponendi, adrogationes, pariter, ac adoptiones confirmandi, creandi porro notarios, ſeu publicos tabelliones & iudices ordinarios, liberos naturales, nothos, ſpurios, manſeres, immo & natos ex inceſtu, nefandiſque amplexibus liberos, dumne ex Principum, Comitum, Baronumve ſanguine dicantur procreati, ſive vivis adhuc, ſive iam mortuis eorum parentibus, legitimandi, immo & ſucceſſionis iura, modo id aliis exſtantibus legitimis & naturalibus non ſit praeiudicio, tribuendi.

§. V. Quidam porro adſerere ſibi non dubitant ius auri, argenti, aeris flandi, feriundique, nummoſque typis, & teſſeris ſuis ſignatos non modo intra,

tra terrarum ſuarum fines, verum etiam ubivis per S. Romani Imperii provincias valere oportere, contendunt. Negant alii, vel ſe, vel ſuorum aliquem, ſive ob pecuniariam cauſſam, ſive criminis ullius obtentu, ad aliud, quam ſummum Auguſtiſſimi Imperatoris tribunal, in ius vocari, vel ſubditos ſuos uſquam alibi, quam apud ſe conveniri poſſe. Sunt praeterea, quibus privilegio data eſt immunitas ab omnibus collectis Caeſareis, & Regiis, oneribus civium realibus, perſonalibus, ac mixtis, ſervitiis militaribus, ac cavalcatis, iis tantum exceptis obſequiis perſonalibus, ad quae S. Romano Imperio vel iure, vel more maiorum, ſint obligati. Immo quibuſdam inſigne iſtud privilegium datum eſt, ut natu maior ex ea familia de conſilio Imperatoris reputetur, eique fas ſit, omnibus intereſſe conſiliis, & quandocumque in curia Caeſarea vel ipſe, vel per vicarium ſuum commoretur, ei una cum quadraginta comitibus totidemque equis lautia praebeantur, prout aliis tales ſumtus in curia Caeſarea honorifice ſoleant praeſtari, addita tamen clauſula, *praedicta quibuſcumque aliorum iuribus non eſſe praeiudicatura*. (1)

§. VI. Inter ea tamen diplomata, quibus freti terrarum iſtarum poſſeſſores tantum ſibi adrogant, hoc non leve obſervatur diſcrimen, quod in aliis vicariatus dignitas cum hiſce iuribus, ac praerogativis omnibus, in aliis cum quibuſdam, diſerte exprimitur, quamvis pleriſque ſimul inſertae ſint clauſulae generales, quibus feudorum iſtorum poſſeſſoribus omnia iura, omneſque praerogativae, Vicariis de iure ac conſuetudine competentes, tribuuntur, veluti

(1) Chriſtianus Lunigius *Codicis diplomatici Italiae Tom. II. col. 2460.*

Digitized by Google

luti in privilegio D. Maximiliani II. Imp. Principibus ab Auria d. VIII. Iul. MDLXXV. conceſſo (1); itemque in alio a Maximiliano I. Imp. anno MCCCCLXXXXVI. Alphonſo, Marchioni de Carretto-Savona conceſſo (2). His ergo ſimilibuſque freti privilegiis poſſeſſores nonnulli non ſolum Vicariatus, & comitivae palatinae iura adfectant, verum etiam, uti fama eſt, clauſulis iſtis ac formulis tantum tribuunt, ut vi earum, ac poteſtate ſibi etiam leges, iuri communi ſcripto derogaturas ferendi, facultatem denegari haud poſſe exiſtiment: quandoquidem, ſi vel maxime Vicariatus dignitas diſertis verbis ſibi non ſit collata, ipſius tamen Imperii vaſalli tantam eſſe praerogativam, tamque late patere *meri mixtique Imperii* atque *omnimodae Iuriſdictionis*, ſibi competentis, ambitum, ut eorum alterutrum ad exercendam illam poteſtatem legiſlatoriam ſufficere arbitrentur.

QUAE-

(1) *Saepe nominatum Ioannem Andream ab Auria, & deſcendentes ſuos antedictos in Vicarios Imperiales in eodem Marchionatu, nec non in omnibus iis locis, caſtris, terris & feudis, & iuriſdictionibus adquiſitis & adquirendis conſtituimus, creamus, & eligimus cum omnibus privilegiis, iuriſdictionibus, honorantiis, dignitatibus, gratiis, indultis, praeeminentiis, franchiſiis, immunitatibus, libertatibus, & aliis quibuſcumque praerogativis & emolumentis, ceteris noſtris Vicariis Imperialibus, quomodolibet ſpectantibus conſuetudine vel de iure.* Lunig. *Cod. diplomat. Ital. Tom. I. col.* 1970.

(2) *Cum omnibus privilegiis, iuriſdictionibus, honorantiis, dignitatibus, gratiis, indultis, praeeminentiis, franchiſiis, immunitatibus, libertatibus, & aliis quibuſcumque praerogativis & emolumentis, tam ſcriptis in Corpore iuris, quam non, & tam ex conſuetudine, quam aliter, ceteris noſtris Vicariis perpetuis ſpectantibus, pariter, ac conceſſis, & quomodolibet ſpectare & pertinere poſſentibus. Adiiciendo ulterius,* cetera. Lunig. *ibid. Tomo I. col.* 2148.

Digitized by Google

§. VII. Quae omnia quum ita comparata ſint, ut ſuperioritati territoriali, potentiſſimo Sardiniae Regi tam ſollemniter ceſſae manifeſto repugnare, & ceſſionem ipſam tantum non inanem atque inutilem reddere videantur: fieri non poteſt, quin variae oboriantur *Quaeſtiones*, non aliunde, quam ex ipſis Imperii legibus, ac conſtitutionibus, nec non conſuetudinibus in S. Romano Imperio receptis definiendae. Quaeritur enim,

I. *An conſideratis paullo accuratius Pacis praeliminaribus, Mandato Caeſareo, eiuſque exſequutione, ac praeſertim indemnitate Vaſallis ab Auguſtiſſimo Imperatore oblata privilegia hactenus recenſita, nec non Vicarialis dignitas, eiuſque exercitium ſalva eſſe, & cum ſuperioritate territoriali, Regiae Maieſtati Sardiniae ceſſa conſiſtere poſſint: quaeve iura, ac privilegia Vaſallis iſtis adhuc ſalva ſint, vel eſſe poſſint?*

II. *An eadem privilegia ita comparata ſint, ut dignitatem Vicariatus involvant, ſi vel maxime illius nulla plane in diplomatibus facta ſit mentio?*

III. *An Vicarii Imperialis dignitas, expreſſe collata poteſtatem ferendi leges ipſo iure tribuat? et, quid ſi talis non adiecta ſit clauſula, qua poteſtas detur, id omne, quod Imperatori in Sacri Rom. Imperii ditionibus licet, faciendi?*

IIII. *Quid operari videantur clauſulae illae, concedentes Vaſallis, quidquid iure vel de conſuetudine Vicariis Imperialibus ſpectet, vel ſpectare poſſit? & an ſpeciatim poteſtatem legiſlatoriam conferant?*

V. *An aliquid interſit inter Vicarii Imperialis dignitatem, Principibus ſuprema poteſtate in territorio*

ſuo

ſuo praeditis collatam, *eamque*, *quae minoribus Imperii vaſallis data reperitur? Et an diſcrimen illud in eo poſitum ſit*, *ut prioribus leges ferre*, *ceteraque iura*, *ac regalia maiora*, *quae ſupremis Principibus competunt*, *exercere liceat*, *poſterioribus id non aeque liceat?*

VI. *Num aliquod*, *& quale diſcrimen intercedat inter dignitatem Vicarii Imperialis totius Imperii conſenſu munitam*, *& eam*, *quae a ſolo Auguſtiſſimo Imperatore conceditur? & an iſtud diſcrimen potiſſimum in legum ferendarum poteſtate ſeſe exſerat?*

VII. *Utrum Vicariatus Imperialis dignitas*, *Vaſallis quidem*, *at non Principibus ſupremis*, *conceſſa regalia*, *privilegia*, *ac praerogativas tantum in diplomatibus expreſſas*, *an & reliquas non expreſſas involvat? & quid in ſumma illis ea conceſſione tribuatur?*

VIII. *An ea ſit meri mixtique Imperii omnimodaeque iuriſdictionis*, *quibus Vaſallus cum aliis regalibus inveſtitur*, *vis atque efficacia*, *ut iis conceſſis*, *& poteſtas ferendi leges conceſſa videatur?* Denique

VIIII. *An ſola qualitas Vaſalli Imperialis immediati*, *qua antea fruebantur poſſeſſores Langharum*, *poteſtatem ferendi leges ipſo iure conferat?*

QUAESTIO I.

§. VIII. Quod ad *primam* attinet *Quaeſtionem*, ea iura tam diverſa, quae ſibi Langharum poſſeſſores vindicant, veluti complicat, ut non niſi ſingulis diſtincte, ac ſeorſum expenſis, ad quaeſtionem totam ſolide reſponderi poſſe videatur. Ex ipſa vero praemiſſa ſpecie patet, iura illa quatuor potiſſimum generum eſſe. Nam I. quaedam ex dignitate vicariatus, & comitiva S. Palatii; II. quaedam ex pri-

privilegiis, quae ſibi, ſuiſque familiis conceſſa eſſe aiunt; III. quaedam ex interpretatione illorum privilegiorum extenſiva; denique IIII. alia ex ipſa meri, mixtique imperii, atque omnimodae iuriſdictionis, in feudum datae natura, atque indole derivantur, de quibus ſingulis ordine erit agendum.

I. DE DIGNITATE VICARIATUS ET COMITIVA PALATINA.

§. VIIII. Quod primum ad *Vicariatus Imperialis* dignitatem attinet, ea ita comparata videri poſſet, ut ſub potentiſſimi Sardiniae Regis ſuperioritatem territorialem trahi non poſſit, ſed per omnia ſalva, ac illibata eſſe debeat poſſeſſoribus Langharum, qui eam ſemel iuſto, legitimoque titulo adquiſiverint. Conſtat enim inter omnes, quibus iura Imperii noſtri Romano-Germanici ſatis cognita ſunt, eos, qui ipſi ſuperioritate gaudent, alterius, quam Imperatoris & Imperii, ſuperioritati ſubeſſe non poſſe: ac proinde notiſſimum eſt iuris publici doctorum axioma: *Superioritatem ſuperioritatis non dari* (1). Atqui Vicariorum Imperialium dignitatem, atque officium cum ſuperioritate quadam coniunctum eſſe, luculenter probari poſſe videtur I. virorum doctiſſimorum, qui illuſtrando iuri publico animum adpulerunt, teſtimonio, e quorum numero vir harum rerum peritiſsimus, Burchardus Gotthilff Struvius:

 Quod

(1) Andr. Knichen *de ſublimi territor. iure*, *Cap. III. num.* 132. *Cap. IIII. num.* 3. *Cap. V. num.* 139. -- Ioann. Schilterus *Iur. publ. Lib. I. tit.* XXIIII. §. *III. p.* 239. *Tom. I.* -- Ioann. Nicc. Hertius *de ſuperioritate territoriali* §. *VIIII. p.* 199. *Opuſc. Vol. I. Tom. II.*

Digitized by Google

Quod ſi rem, inquit, *penitius conſideremus*, *iura ſuperioritatis Vicariis ſunt conceſſa* (1): ubi vir celeberrimus non de ſereniſsimis Imperii Vicariis, qui Imperio capite orbo praeſunt, ſed de Italicis, & quidem non generalibus, ſed minoribus, ex inſtituto diſputat, iiſque adeo ſuperioritatis iura manifeſto tribuit. Deinde II. idem ex ipſa huius dignitatis natura, atque indole colligi poſſe videtur. Ideo enim iam inde ab antiquiſſimis temporibus viris exploratae virtutis, ac fidei haec Vicaria dignitas ab Imperatoribus conferri coepit, ut cuidam Italiae parti vice ſacra praeeſſent, & ipſis Imperatoribus pleiumque in Germania verſantibus iura eorum, ac Imperii adminiſtrarent (2). Quum vero Auguſtiſſimo Imperatori per Italiam ſuperioritas, ipſaque maieſtatis iura ſine dubio competant: ſibi quoque ſuperioritatem competere oportere, non ſine veri ſpecie contendent feudorum Langharum poſſeſſores, quotquot eorum vicariatus Imperialis nacti ſunt dignitatem. *Qui enim vices alicuius gerit*, *ſimpliciter*, *& abſolute poteſt ea*, *quae poteſt ipſe principalis*, *& hoc exiſtimatur probabili dubitatione carere* (3): adeo, ut non modo ius ſcriptum, ſed & ius gentium, ipſaque recta ratio id incul-

(1) Burc. Gotthil. Struvius *Syntagm. iur. publ. Diſſert. XIII.* §. *XXXVII. p.* 286.

(2) Petrus de Vineis *Lib. V. Epiſt. I. p.* 579. *edit. Baſil.* 1566. verbis: *Ut vices noſtras univerſaliter geras ibidem.* -- Fridricus Ludovicus de Berger *Animadverſ. ad* Henr. de Coccejii *Iur. publ. prudent. Cap. V.* §. 40. *p.* 90. -- Gerlac. Adolph. de Munch-Hauſen *Diſſert. de Vicariatu Italico*, *Cap. II.* §. *I.*

(3) Menoch. *Conſil. DCLXXVI. n.* 4. *Tom. VII.* -- Decian. *Vol. I. Reſp. XXIII. n.* 69. -- Cacheran. *Deciſ. CI. n.* 3. -- Gratian. *Diſceptat. Tom. I. Cap. CVI. n.* 16. -- Surdus *Conſil. CLXXXI. n.* 1.

inculcare videatur, quod Vicarius, ſine conditione, atque exceptione conſtitutus, aequali eum eo, cuius vices gerit, poteſtate gaudeat (1). Praeterea III. ex variis diplomatibus, & antiquis annalibus patet, Italiae Vicariis datum eſſe *ius praeſidiatus*, *merum*, *&* *purum imperium*, *poteſtatem gladii*, *ſeu facultatem in facinoroſos vice Caeſarum animadvertendi*, *purgandi provincias*, *malefactores inquirendi*, *puniendi inquiſitos*, *&* *ſpecialiter eos*, *qui ſtratas*, *&* *itinera publica auſu temerario violare praeſumant*, *porro quaeſtiones criminales*, *&* *civiles audiendi*, *&* *eas quidem*, *quarum cognitio*, *ſi* praeſens eſſet Imperator, *ad ipſius auditum pertineret*, *imponendi banna*, *&* *mulctas*, *decreta ſuper tranſactione alimentorum*, *alienatione rerum Eccleſiaſticarum*, *&* *tuitione minorum interponendi*, *tutores*, *&* *curatores dandi quibuſlibet*, *maioribus*, *&* *minoribus*, *quibus univerſa iura ſuccurrunt*, *reſtitutionis in integrum beneficium impertiendi*, *adpellationes tam in criminalibus*, *quam in civilibus cauſſis ad audientiam ſuam revocandi*, & ſimilia (2). Quae iura tam luculenta ſunt, ut Lunelli Vicarium Comitem & Principem vocare non dubitet ſpiritus, atque ingenii pro ſaeculi ſui genio haud contemnendus poeta, *Guntherus*, dum canit (3):

(1) Michael Henricus Gribnerus *Select. Opuſc. iur. publ. & priv. Tom. II. ſect. I. §. IIII. p. 5. Diſſert. de iuribus Vicariorum Imperii, illis in primis, quae perperam a nonnullis in dubium vocantur.*

(2) Petr. de Vineis *ibid. p. 579. ſequ.* -- Marqu. Freher. *Script. rer. Germ. Tom. I. p. 665. edit. noviſs.* -- Godofr. Guill. Leibnit. *Codic. iur. gent. diplomat. n. LXIII. p.* 128. -- Chriſt. Lunig. *Cod. diplomat. Ital. locis citatis.*

(3) Gunther. *Ligurin. Lib. III. v. 76.*

Et nunc ille Comes conſors, & regius aulae
Ille potens princeps, ſub quo Romana ſecuris
Italiae punire reos de more vetuſto,
Debuit, iniuſtae victrici cogitur urbi
Ut modicus ſervire cliens.

Quum ergo non detur ſuperioritatis ſuperioritas: Vicariis vero Imperialibus per Italiam, etiam minoribus ſuperioritatem, eiuſque iura competere, eoſque ideo Principum nomine venire, variis teſtimoniis, atque argumentis probatum ſit: conſequens profecto eſſe videtur, ut Vicarii illi ſubiici non poſſint ſuperioritati Regiae Maieſtatis Sardiniae, ſed iura ſua, non obſtante ceſſione illa, ab Auguſtiſſimo Imperatore, & Imperio facta, ſalva, atque illibata omnino habere debeant.

§. X. Neque enim ceſſio illa Auguſtiſſimi Imperatoris, & Imperii iuſtus Vicarialem illam dignitatem adimendi modus poteſt videri, ſive ſuperioritatem tribuamus illius poſſeſſoribus, ſive eorum iura ex privilegio, ſive denique ex feudo, & inveſtitura derivemus. Si enim negari illis nequeunt iura ſuperioritatis, quod ſuperiore §. VIIII. demonſtravimus: iam pridem obſervatum eſt a viris doctis, eam non poſſe, niſi quinque modis extingui: I. Territorio conſentientibus Imperatoris, & Imperii ſuffragiis ab Imperii corpore plane avulſo, ſiquidem amiſſo territorio, nec inhaerentem illi qualitatem, ſeu ius reale ſubſiſtere poſſe, palam eſt (1). II. Familia regnatrice deficiente, & ad Imperium redeunte territo-

(1) *Auctor Meditationum ad Inſtrumentum Pacis Oſnabrug. Specim. IIII. Mantiſſa I. §. 41. ſequ. p. 45.* — Hertius *de ſuperiorit. territor. §. LXXXXI. ſequ.*

torio [1]: III. poſſeſſoribus ſublimi illo iure ſe ſua ſponte abdicantibus, aliorumque ſe ſubiicientibus ſuperioritati [2]: IIII. praeſcriptione temporis, cuius in contrarium non exſtat memoria [3]: denique V. poſſeſſoribus ob inſigne aliquod delictum proſcriptis, vel feudo per feloniam commiſſo, quamvis id fraudi eſſe non poſſit agnatis proximis, recuperaturis amiſſum territorium, inhaerentemque illi ſuperioritatem, ſimul ac eos ſucceſſionis ordo tetigerit [4]. Atqui horum nihil videtur ſpeciei praeſenti quadrare. Neque enim quiſquam dixerit, illis Langharum terris ſeſe penitus abdicaſſe Imperatorem, ac Imperium, quum ſub finem Articuli IIII. Pacis praeliminarium diſerte cautum ſit, ſuperioritatem quidem territorialem in illis ceſſum iri potentiſſimo Sardiniae Regi, aſt ſtatim ſubiiciatur conditio [5]. Quumque praeterea nec exſtinctae ſint poſſeſſorum familiae, neque eo animo ſint domini Vicarii, ut ſeſe ultro ſubiicere cupiant potentiſſimo Regi Ceſſionario, neque illis vel praeſcriptio opponi, vel delictum ullum, quo ſe iuribus iſtis indignos reddiderint, poſſit exprobrari: conſequens profecto eſſe videtur, ut eos Vicariatus Imperialis iuribus, dignitateque privari non poſſe, ſed eam praerogativam illis, etiam ſuperioritate in feudis Lan-

(1) Schwederus *Introduct. in ius publ. part. ſpecial. ſect. II. Cap. XI.* §. 15. -- Hertius *ibid.* §. *LXXXXIIII.*

(2) Hertius *ibid.* §. *LXXXXV.*

(3) Hertius *ibid.* §. *ult.*

(4) Io. Adam. Struvius *Syntagm. iur. feudal. Cap. XV. aphor. XIII. & XIIII.* -- Schweder. *ius publ. ibid.* §. 15.

(5) *En ſorte, que comme arrier-fiefs elles ſoient ſujettes a Sa domination immediate, & il ſera tenu de les reconnoitre, comme muovantes, & relevantes de l' Empereur, & de l' Empire.* Anton. Faber *Cancellar. Stat. Part. LXVII. p.* 769.

Langharum Regiae Maieſtati Sardiniae ab Auguſtiſſimo Imperatore, & Imperio ceſſa, ſalvam, illibatamque eſſe oporteat.

§. XI. Quin ſi ſuperioritatis iura dominis Vicariis, tamquam Vicariis non competere, ſed eorum praerogativas tantum ex privilegio derivandas eſſe fingamus: tamen, & hoc caſu omnia eos integra habere debere, ſtatuendum videbitur. I. Tot enim Imperatorum, quae vidimus, diplomata ad unum omnia illam vicariatus dignitatem *ob fiduciam in perſonarum quarumdam providentia, & fidelitate collocatam*, vel *ob armorum virtutem, & quod perſonae iſtae in partibus Italiae praecipui pro S. Romano Imperio pugiles exſtiterint, nullique parcendo periculo, oneri, vel labori, iuſtitia ſua, & animi probitate victos de hoſtibus devotos pro imperio tenuerint, ac devios infideles ad fidem gratioſis meritis invitarint*, vel *ob intemeratae fidei conſtantiam firmam, & multiplicia devotionis, ac fidelitatis inſignia, quibus divos Romanorum Imperatores, & Reges dignis ſtuduerint honoribus venerari*, denique *ob fervidum mentis ardorem, quo ad Imperatoris, & Imperii ſacri promovendos honores indefeſſis laboribus attentius inclinati fuerint*, ſimiliaque bene merita conceſſam eſſe, loquuntur (1). At talia privilegia, quae quis rebus praeclare geſtis meruit, tantum abeſt, ut a Principe concedente, eiuſque ſucceſſoribus abrogari, revocarique pro lubitu poſſint, ut titulo oneroſo adquiſitis aequiparentur a Iureconſultis, & non magis, quam quodvis ius con-

tractu

(1) Petrus de Vineis *Lib. V. Epiſt. I.* -- Freher. *Script. rer. Germanic. Tom. I. p. 665.* -- Leibnitius *Cod. iur. gent. diplomat. num. LXIII. p.* 128. -- Lunig. *Codic. diplom. Ital. Tom. II. p. 501. p. 1168. & 2165. Tom. II. p.* 553.

tractu quaeſitum auferri poſſe credantur (2). Deinde II. quamvis in iure noſtro plures proditae ſint cauſſae, ob quas privilegia vel adimi, vel revocari poſſint a Principe: earum tamen nulla praeſente caſu adlegari poſſe videtur. Sive enim renunciatione vel expreſſa, vel tacita, privilegia exſpirare dicantur: domini Vicarii iuri ſuo, dignitatique numquam renunciarunt. Sive ob delictum adverſus privilegii leges admiſſum, ipſiuſve privilegii abuſum, privilegio aliquem privari aequum eſt: nullius huiuſmodi delicti ſibi conſcii ſunt Domini Vicarii. Sive temporis lapſus, defectuſve conditionis interitum privilegio acceleret: privilegia Vicariatus Imperialis nec ad tempus, nec ſub conditione alia, quam ut ſui ſint ſimiles poſſeſſores, Imperioque, & in poſterum eadem fide, ac virtute ſerviant, conceſſa ſunt. Ac proinde firmiſſimo talo ſtare videtur argumentum, quoties nulla iuſta ſit cauſſa privilegium tot meritis familiae cuidam partum adimendi, revocandique, toties tantum non iniuriam privilegiatis fieri, ſi privilegio ſuo nihil tale meriti priventur.

§. XII. Praeterea, ſi iura iſta Vicariatus ex iuris feudalis principiis aeſtimentur: denuo conſequi videtur, ut illa ſalva eſſe oporteat terrarum Langharum poſſeſſoribus. Eſt enim ea feudorum natura, ac indoles, ut quemadmodum vaſallus dominium, quod accepit, utile; ita nec dominus directum, hoc inſcio,

(2) Tiraquellus *in L. Si umquam, verb. donatione largitur, n.* 14. -- Cravetta *de antiqu. temp. part. I.* §. *Circa primam, n.* 56. -- Gozadinus *Conſil. V. n.* 11. & 23. -- Decian. *Reſponſ. XXV. n.* 79. *Volum. I.* -- Acacius ab Enenckel *de privilegiis, Lib. III. Cap. VIII.*

Digitized by Google

ſcio , & invito in alium traſferre poſſit [1]. Et quamvis eorum ſententia , qui hoc caſu dominium directum cum utili conſolidari , exiſtimant , merito explodatur ab interpretibus probatiſſimis : in eo tamen inter omnes convenit , alienationem hanc dominii directi ſine vaſallorum conſenſu factam nullam eſſe [2] , eaque in re mirus iurium feudalium Langobardicorum , & Germanicorum concentus eſt , quippe , quae non magis , quam illud , vaſallos alii , quam aequalis ſaltim dignitatis domino cedi patiuntur [3]. Cuius iuris uſum cum aliis , tum maxime Arthuri , Britanniae Armoricae exemplo oſtendit iuris feudalis Alemannici interpres doctiſſimus *Ioannes Schilterus* [4] . Quum enim anno MCCCVIII. inter leges pacis id quoque placuiſſet paciſcentibus , Philippo Pulcro , Galliae , & Eduardo , Angliae Regibus , ut Britanniae Armonicae Ducatus Regi Angliae in poſterum iure clientelari eſſet obſtrictus : negavit Arthurus , Dux , ſe , ac ſubvaſallos invitos poſſe alii domino cedi . Et proditum memoriae eſt, conſultum ea de re Azonem , iureconſultum , ceſſio-

nem

(1) *II. Feud.* 34. §. 1. *Ex eadem lege Corradi deſcendit , quod dominus ſine voluntate vaſalli feudum alienare non poteſt .* Addatur *Lex Langobard. Lib. II. tit. VIII.*

(2) *Arg. I. Feud.* 22. §. *Si quis fecerit.* -- Fridr. Schenck *Lib. Baro* De Tautenburg *Interpret. feud. Lib. III. tit. XII.* §. *Ex eadem lege* ; *p.* 228. -- Franciſc. Sonsbeck *de feud. part. XIII. num.* 181. *ſequ.* -- Roſenthal. *Cap. VIIII. concluſ. CLXII. n.* 11.

(3) *Auctor vetus de Beneficiis* §. *LVIII. apud* Chriſtian. Thomaſium *in Select. feudal. Tom. I. p.* 85. -- *Ius feudale Saxonic. Cap. XXV. & XXXXVIII.* -- *Ius feudale Alamann. Cap. LXXXVIIII. p.* 105. *edit.* Ioannis Schilteri .

(4) Schilter. *Commentar. in ius feud. Alamann. Cap. LXXXVXX. p.* 354. *ſeq.*

nem illam pro nulla habuiſse (1). Neque exiſtimandum, alienationem hanc magis permiſſam eſse Imperatoribus, quippe quos potius iureiurando promittere conſtat; feuda Imperii ſe non alienaturos, ſed ea omnia, & Italica maxime, pro virili conſervaturos (2). Quae quum ita ſint, nec Vicariatus dignitatem, ſine iure conceſsam ſine poſseſsorum conſenſu alii cedi potuiſse, ſed eam, non obſtante illa ceſſione, ſalvam eſse debere dominis Vicariis, facile intelligitur.

§. XIII. Sed ne id quidem hic praetermittendum videtur, quod ipſa Vicariatus dignitas, illuſtribus quibuſdam familiis conceſsa, non ita ſit comparata, ut cum tranſlata in Regiam Maieſt. Sardiniae ſuperioritate territoriali conſiſtere nequeat. Quamvis enim ſuperioritas territorialis iura, ac regalia omnia, quae ad ordinandam provinciam pertinent, ambitu ſuo complectatur: ea tamen officere non debet iuribus, Auguſtiſſimo Imperatori propriis, quae *Reſervatorum* nomine venire ſolent. Atqui reſervatorum iſtorum iurium conſervationem praecipue demandatam eſse Vicariis, nuper obſervavit vir eleganter doctus, dum ſcripſit: *Quum Imperatores plerumque in Germanis verſarentur: quidam conſtituendi erant procuratores, aut vicarii, qui iura illa Imperatoris* reſervata, *ac a ſuperioritate territorii longe diſcreta adminiſtrarent* (3). Et interiectis quibuſdam: *Superioritas*

C *con-*

(1) Carolus Molinaeus *Conſuetud. Pariſenſ. tit. I. §. I. gloſſa III. n.* 27. -- Iac. Cuiac. *in l. Feud.* 22. *Tom. III. p.* 1222. *edit. nov. Neapolit.*

(2) *Capitulatio Aug. Imp. Caroli VI. Art.* X.

(3) Frideric. Ludovicus *Nob. Dom.* de Berger *Animadv. ad* Cocceii *Iur. publ. prud. Cap. V. p.* 90.

Digitized by Google

continet iura , quae Rex ſibi reſervare noluit , & quibus divulſis nihilominus ſuprema maieſtas conſervatur , & illius character dignoſcitur . At ius Vicariatus *concernit ipſa* reſervata , *quae integra Regia Maieſtate ſuperioritas minus capit , & quae non alio , niſi Vicario nomine ad alios devolvi poſſunt , ſic ut maieſtati perpetuo cohaerere intelligantur , quum nihil interſit , an quis ipſemet , an per alios , iure ſuo utatur .* Si ergo verum eſt , iuribus illis a maieſtate inſeparabilibus, quae reſervatorum nomine veniunt , conceſſa ſuperioritate territoriali nequaquam derogari , ad Vicariorum vero officium praecipue pertinere , ut dent operam , ne quid iura illa reſervata detrimenti capiant : nulla profecto ſubeſſe videtur ratio , cur in terris Langharum ſupprimi oporteat Vicariatus dignitatem , ad ſola iura Auguſtiſſimo Imperatori reſervata tuenda , conſervandaque , non ad deminuenda ſuperioritatis iura , comparatam .

§. XIIII. Poſtremo quamvis vel maxime id urgeri animadvertam , quod dominis Vicariis , dum ipſis indemnitatem a potentiſſimo ceſſionario ſtipulatus eſt Imperator Auguſtiſſimus , abunde ſit proſpectum : iura tamen tam ſublimia vix videntur eſſe ex eorum numero, quae certo pretio aeſtimari poſſint . Sane Imperii legibus cautum eſt , ut , ſi de iuriſdictione , ſervitutibus , ſimilibuſque iuribus litigetur, ratio non habeatur ſummae adpellabilis , quam vocant , addita ratione , quod talia iura non admittant certam aeſtimationem (1) . Unde colligunt ſcriptores rerum forenſium peritiſſimi , recipiendas eſſe interpoſitas in his cauſſis adpellationes , ſi vel ſuper dena-

(1) *Ordinat. Cameral. Part. II. tit. XXXI.* §. *6.* -- Andr. Gail. *Obſerv. Lib. I. Obſ. CXXIII. n. 6.*

denario, vel pullo gallinaceo quotannis praeſtando litigetur, quia huiuſmodi iura, utut levia, & nullius fere momenti videantur, aeſtimationem tamen, niſi ex cuiuſque adfectione, vix admittere videantur (1). Si ergo ne tantilli quidem momenti iura recipiunt aeſtimationem: quanto minus iura iſta ſublimiora, quae maiores innumeris laboribus, ipſoque ſanguine ſuo ſibi, ac poſteris pepererunt, certo pretio aeſtimabuntur? Quamobrem, quum ſuperioritas in feudis, ac terris Langharum potentiſsimo Sardiniae Regi ea lege ceſſa ſit, ut poſſeſsores ratione immedietatis indemnes praeſtet: Vicariatus vero, ſimiliaque iura aeſtimationem non admittant, qua praeſtita indemnes ſint poſſeſſores: conſequi profecto videtur, ut Vicariatus iſti non ſimul ceſſi ſint, adeoque illi ſalvi eſse debeant feudarum Langharum poſſeſsoribus.

§. XV. Enimvero quantumvis haec ſpecioſa videantur: nihilominus tamen, iura Vicariatus ceſſione ſupra memorata omnino ſuppreſſa, atque exſtincta eſſe, neque cum ſuperioritate territoriali, quam potentiſſimus Sardiniae Rex in terris Langharum nactus eſt, conſiſtere poſse, ſtatuo. Quod tamen de re ipſa, iuribuſque cum Vicariatu coniunctis, non de ſolo vocabulo, ac titulo intellectum velim. Solent enim huiuſmodi tituli, quibus priſtinae fortunae memoria conſervatur, non invideri familiis illuſtribus, nec temere ii, quos in eo articulo vel deprehendit, vel oppreſſit fortuna, ut iuribus ſuis ſe

 abdi-

(1) Iulianus Magenhorſt *ad Ordin. Cameral. loco cit. XV. Secundo dicta regula.* -- Iac. Blumius *Proceſs. Cameral. Tit. XXXXVI.* §. 45. -- Fridr. Rhetius *Inſtit. iur. publ. Lib. IIII. tit. XXI.* §. *6.*

Digitized by Google

abdicare cogerentur, etiam nuda honoris vocabula iubenter eiurare. Quemadmodum ergo olim Belgii foederati Ordinibus, poſtulantibus a Philippo III. Hiſpaniarum rege, & Alberto Auſtriaco, ut foederatarum provinciarum vocabula e titulo ſuo in poſterum expungerent, ſapienter a legatis reſponſum eſt: *Contentos eſſe debere Ordines, quod in poſſeſſione ſint, & veluti pignori inſiſtant. Relinquendum eſſe Principibus, ut maiorum ſedibus exterminati, ſaltim inanes titulos ſibi reſervare poſſint, quemadmodum pueris dentur crepundia a blandis nutricibus* (1): ita & Langharum poſſeſſoribus adimendum non putaverim illud priſtini honoris, officiique monimentum, ut Vicariorum titulo aeque, ac antea, utantur, maxime quum id gentium paene omnium moribus invaluerit, ut ad commendandum familiarum ſplendorem huiuſmodi titulos retineant homines illuſtres, & in illis priſtinae fortunae ſimulacris, ac veluti cenotaphiis ſolatium qualecumque reperire ſibi videantur (2). At ſicuti in praeſenti non de titulis, vocabuliſque honorum, ſed de re ipſa, id eſt de iurium vicariatus exercitio, quaeſtionem eſſe arbitramur: ita tantum iura illa Vicariatus, eorumque exercitium ceſſione ſaepe memorata interiiſſe cenſemus.

§. XVI. Id vero primo eo argumento probatur, quod Vicarii iis tantum terrarum tractibus, & ci-

(1) Dominicus Baudius *de Induciis belli Belgici Lib. II. p. 94.* Hugo Grot. *Hiſt. Belg. Lib. XVII.* -- Eman. Meteran. *Hiſt. Belg. Lib. XXVIIII.*

(2) Petrus Gregor. Tholoſan. *Lib. VI. de Republica Cap. XI. n.* 13. -- Mich. Anton. Franciſc. Urrutigoytus *Var. iur. reſolut. Cap.* XXXVIIII. *n.* 215. -- Ger. Feltmannus *de titulis honoris, Lib. I. Cap. XVIIII. & ſequ.*

Digitized by Google

civitatibus praefici ſolebant ab Imperatoribus, qui quaeve iis, atque S. Romano Imperio ἀμέσως, ſeu immediate parebant. Quum enim initio omnes Italiae civitates Imperatoribus, tamquam Italiae Regibus, immediate ſubeſſent, & hi iura omnia regalia in iis ſoli explicarent: fieri non poterat, quin *miſſi*, *vicarii*, *capitanei*, *nuncii*, *poteſtates*, (tam variis enim nominibus in vetuſtis eorum temporum monumentis venire ſolent,) tuendae auctoritatis Caeſareae cauſſa ubique conſtituerentur, iique vel *generales*, & *maiores*, qui toti terrarum tractui, vel provinciae, ſive maiori, ſive minori; vel *ſpeciales*, & *minores*, qui civitati cuidam eiuſque agro vice ſacra praeeſſent, ibique ius dicerent, magiſtratus conſtituerent, vectigalia, & reditus fiſco Imperatorum debitos reciperent, homines rebelles, frenaque mordentes cogerent in ordinem, aliaque Imperatorum, ac Regum mandata curarent. Quum vero ſub Franconicae, Suevicaeque ſtirpis Imperatoribus, ac Regibus, multoque magis poſt fatale iſtud, atque illaetabile interregnum, mirificis rerum converſionibus contingeret, ut quidam non modo proceres, ſed & civitates opulentiores regalia quaedam, vel omnia ſive invaderent iniuria, ſive ab Imperatoribus, & Regibus iuſto inveſtiturae titulo adquirerent: in illos quidem, quoties occaſio fuit, tamquam in perduelles animadverſum, nihilque praetermiſſum eſt, ut regalia illa, quaeque erant Caeſaris, Caeſari redderentur (1), ac proinde iis etiam invitis praefecti ſunt Vicarii, qui regalia nomine Imperatorum exercerent, quibuſque & ius aliquando datum legimus, ut eos, quibus in turbido erat conſilium, & ar-

(1) Radevic. *de geſtis Fridrici I. Lib. X. Cap. V.*

Digitized by Google

armis imperata facere cogerent : his vero proceribus , & civitatibus tantum abeſt , ut obtruderentur Vicarii , ut ipſi potius iura regalia Caeſarum quidem beneficio accepta, at ſibi tamen veluti propria , nomine Caeſarum intra territorium ſuum explicarent. Neque obſtat , in provinciis quibuſdam & civitatibus , quibus alioquin Marchiones praeerant , Vicarios aliquando reperiri . Nam , uti recte obſervavit vir quidam doctiſſimus, *Ducatus*, *Marchiae comitatus*, *plerique initio non eo , quo poſtea , nexu proceribus adſtringebantur , ſed Vicaria quadam , & praefinita poteſtate regebantur , & Regum voluntate , beneficioque ſine iure territorii conferebantur , adeoque ſine regalibus , quae territorium depoſcit , & continet , poſſidebantur . Deinde ceſſavit haec regendi ratio , & praefecturis in dominia verſis , dignitates illae cum territoriis , & regalibus copulatae ſunt , ac perpetuae fieri coeperunt* (1). Et paullo ante §. XIIII. *Dignitates illae eminentes , & iura , quae regalium adpellatione iampridem curia inſignivit , nondum ea tempeſtate univerſam ditionem complectebantur . Certis enim , definitiſque partibus conſtabant , neque ad eam maturitatem pervenerant , ut tantam poteſtatem abſolverent , quanta quidem territorii nomine continetur .* Quum ergo & eorum , qui regalia , & territoria iuſte adquiſiverant , poteſtas non per univerſum territorium porrigeretur , ſed paſſim eſſent urbes , & civitates , quae Caeſari ἀμέσως parerent : non mirum profecto eſt , & in huiuſmodi territoriis fuiſſe Vicarios Imperiales , non qui proceres illos regalibus , & territoriis inveſtitos in uſu iurium ſuorum turbarent , ſed qui fiſci Imperialis iura in civitatibus immediatis tuerentur , rega-

(1) Conr. Sam. Schurzfleiſch. *de iure Auguſti in Italiam* §. *XV*.

Digitized by Google

regaliaque Proceribus, civitatibuſque non conceſſa Vicaria poteſtate exercerent. Quae ut iam ex eorum temporum annalibus, incorruptiſque monumentis accuratius demonſtremus: I. nullum fere exemplum magis ad rem pertinet, quam Tuſciae, cui provinciae citius, quam aliis, Marchiones, iique potentiſſimi, Caeſarum beneficio praefuerunt. Quamdiu illa Tuſciae Marchionum ſtirps floruit, Vicariatus generalis per Tuſciam provinciam nec vola ulla, nec veſtigium, occurrit. Immo regalia ſibi conceſſa Marchiones illi, immo & feminae principes, ad quas ille marchionatus hereditario iure devolvebatur, veluti Beatrix, & Mathilda, liberrimo iure exercebant, exſtantque tabulae publicae, ex quibus, marchiones utriuſque ſexus *in iudicio reſediſſe ad cauſſas audiendas, & deliberandas intentiones, per fuſtem, quem ſua manu tenuerint, bannum Regium miſiſſe*, mulctas denique *Camerae Domini Regis* pro dimidia parte inferendas irrogaſſe, ſimiliaque iura regalia explicaſſe, intelligimus (1). Nullae ergo hic erant Vicariorum Imperialium partes, adeoque nulli in Tuſciam Vicarii generales mittebantur, quamvis, quum Imperatores ſibi & fiſco ſuo eximia quaedam iura Florentiae, Placentiae, & in aliis quibuſdam Tuſciae, & Liguriae civitatibus reſervaſſent, ad illa iura tuenda miſſos, vel Vicarios ſpeciales ibi haberent, quorum temporibus Conradi Salici, Henrici III. & Henrici IIII. Imperatorum non raro fit mentio

(1) Franciſc. Maria Florentinus *Memorie di Matilda in Adpendice n. 5. & 16. & Lib. III. p. 95. & 118.* -- Nic. Hieronymus Gundling. *de Iure Imperatoris, & Imperii in magnum Hetruriae Ducatum, Cap. I. §. XV.*

Digitized by Google

tio in eius aevi monimentis (1). Quin ipſi Mathildae, Tuſciae Marchioni Vicariatum per Liguriam demandatum eſſe ab Henrico V. Imperatore, his verſibus teſtatur *Domnizo* (2):

Cui Liguris regni regimen dedit in vice Regis
Nomine quam matris verbis claris vocitabat.

Simulac vero exſtincta illa veterum Marchionum ſtirpe, gliſcenteque inter Pontifices, & Imperatores odio, poſt varias rerum converſiones anno MCCXIII. lis iſta feralis de Mathildae hereditate ita demum componeretur, ut eius allodium Pontifici, Eccleſiaeque Romanae; reliqua Tuſcia, tamquam feudum apertum Imperatori, & Imperio cederet (3): ſtatim Tuſcia tota ſubeſſe coepit Vicariis generalibus, qualis ſub Fridrico II. Imp. fuit tum Pandulfus quidam, cuius Pandulfus Collenutius meminit, tum Marinus de Ebulo, quem ideo ſe Tuſciae praefeciſſe ait Imperator, *quia Tuſcia inter ceteras partes, & membra Imperii membrum nobile reputetur* (4). Sed & poſtea ſub Rudolpho I. Adolpho, Henrico VII. Ludovico Bavaro, Carolo IIII. Regibus, & Imperatoribus Rom. plures occurrunt Vicarii Imperiales per Tuſciam, tractumque Parmenſem, & Placentinum, ut dubitari non poſſit, quin ideo de iuribus Imperii ibi tuendis tam ſolliciti fuerint Caeſares, quod illae pro-

(1) Florentin. *ibid. Lib. III. p. 98.* -- Platina *in Vit. Pontific. in Benedicto X.*
(2) Domnizo *Vit. Mathild. Lib. II. Cap. XVIII. apud* Leibnit. *Script. Rer. Brunſuic. Tom. I. p. 682.*
(3) Baron. *Annal. Eccleſ. ad ann. MLXXXXVII. n. 71. 77. 79.*
(4) Petr. de Vineis *Lib. II. Epiſt. CXXVI.*

Digitized by Google

provinciae immediate pertinerent ad Imperium, & iam Florentia principatum adfectare coepiſſet. Eorum recenſum hic inſtituere non patitur inſtituti ratio, ſuffeceritque adeo, vel digito fontes illos, unde, hanc notitiam hauſimus, oſtendere (1). Si ergo, quod hactenus demonſtravimus, exſtincta demum Marchionum ſtirpe, provinciaque illa ad Imperium reverſa, Vicarii generales in Tuſciam mitti coeperunt: manifeſtum profecto eſt, vicariae illi poteſtati locum non eſſe in territoriis, in quibus Principi cuidam competit ſuperioritas, ſed in iis tantum, quae immediate ſubſunt Imperio. II. Hanc differentiam iam Fridricum I. Imperatorem in celeberrimis tabulis, anno MCLXXXIII. editis, quae *Pacis Conſtantienſis* nomine veniunt, & quaſi formulam regni Italiae comprehendunt, obſervaſſe animadvertimus. Quum enim pleriſque Italiae civitatibus Conſules praeeſſent, in quibuſdam vero Epiſcopi regali conſtituendi magiſtratus inveſtiti eſſent, aliae Imperio immediate ſubeſſent: de illis ſancit Imperator: *In civitate illa, in qua Epiſcopus per privilegium Imperatoris, vel Regis* Comitatum *habet, ſi conſules per ipſum Epiſcopum conſulatum recipere ſolent, ab ipſo recipiant, ſicut conſueverunt recipere:* has vero conſules a Vicariis ſuis petere iubet: *Alioquin unaquaeque civitas a nobis conſulatum recipiat. Conſequenter vero in ſingulis civitatibus conſules conſtituentur a*

d Nun-

(1) Giov. Villani *Croniche Fiorentine Lib. VII. Cap. LXXVII.* Scip. Amirati *Hiſt. Florent. Lib. III. p.* 157. -- Edm. Martene *Theſaur. anecdot. Tom. I. p.* 1192. -- Henr. Stero *Annal. ad ann. MCCLXXXXIII. apud* Freher. *Script. rer. Germ. Tom. I. p.* 574. -- Leibnit. *Cod. iur. gent. diplom. n. LXI. & LXIII.* -- Ughel. *Italia S. Tom. III. p.* 198.

Digitized by Google

Nuncio *noſtro*, *qui ſit in Civitate*, *vel in Epiſcopatu*. Deinde quum de adpellationibus incideret dubitatio: Imperator eamdem ſervat διάιρεσιν inter Eccleſiam Brixienſem, cui ea in re ſingulare ius, ac praecipuum regale fuiſſe videtur, & reliquas civitates, ſibi, & imperio immediate ſubiectas, ac de utriſque ita cavet: *In cauſſis adpellationum*, *ſi quantitas viginti quinque librarum imperialium ſummam exceſſerit*, *adpellatio ad nos fiat*, ſalvo iure, *&* moribus *Brixienſis Eccleſiae in adpellationibus: ita tamen ut non cogantur in Alemanniam ire*, *ſed nos habebimus ut proprium* Nuncium *in civitatibus*, *vel Epiſcopatu*, *qui de ipſa adpellatione cognoſcat*. Denique III. ex ipſis plerorumque Italiae principatuum originibus inſigne peti poteſt argumentum, Vicariorum iſtorum poteſtatem tantum ad eos terrarum tractus, qui immediate Imperatori ſuberant, pertinuiſſe, non ad provincias, & territoria, quibus ſuperioritas beneficio Imperatorum, & Imperii inhaerebat. Plerorumque enim poſſeſſores, qui poſtea ad ſupremam Vicecomitum, Marchionum, Ducum dignitatem adſpirarunt, antea Vicariatus dignitate, & munere in iis fungebantur. *Haec* enim *Galeaziis via patuit*, *qua ad hereditarium Inſubriae principatum pervenerunt*, *quorum caſu*, *& finitimi erecti*, *& exemplo incitati*, *praefecturas*, *& vicarias dignitates cum perpetua*, *ſed Regibus devincta poteſtate commutarunt*, *nec praeſides provinciarum*, *& magiſtratus*, *ſed Principes facti*, *Comiteſque creati*, *& Marchiones adpellati*, *hinc maiori potentia*, *& auctoritate Duces renunciati ſunt* (1). Simul ac vero principatus iſti Caeſarum auctoritate, ac beneficio conſtituti ſunt, ceſſavit illico imperium Vicariorum, qui antea

(1) Schurfleiſch. *de iure Auguſti in Italiam* §. XII.

tea in iſtis civitatibus, terrarumque tractibus poteſtatum titulo curaverant. Hinc a Sigiſmundi Imperatoris temporibus, cui Marchionatus Mantuanus debet originem, evanuit ibi Vicariorum nomen, quum ante ea tempora illorum paſſim fiat mentio. Idem & Mutinae, Regii, Parmae, Placentiae, idem Florentiae, poſtquam Marchionibus, Ducibuſque ſubeſſe coeperunt. Immo quum anno iam MCCCXXIIII. Caſtrucius de Antelminellis Lucae, Piſtorii, & Viterbii Vicarii accepiſſet poteſtatem, ac proinde & iuriſdictionem, & merum, mixtumque imperium, per ſe, vel per alium, vel alios, quibus ipſe eam rem commiſerit, explicandam, eaque conceſſio *commiſſio* vocetur (1): quadriennio poſt ea omnia, multoque plura iura illi conferuntur, tamquam Duci Lucano, additurque *ipſi, & ſucceſſoribus eius*, ex ipſa dignitate Ducatus, *perpetuo competituram auctoritatem, & poteſtatem creandi, & ordinandi perpetuo, & ad tempus (prout placuerit,) in ſingulis civitatibus, caſtris, oppidis, villis, terris, dicti ducatus* Vicarios, *capitaneos, poteſtates, iudices, ſeu rectores, & quoſlibet ordinarios magiſtratus, vel etiam delegatos*, cetera (2). Si ergo verum eſt, quod veriſſimum eſſe hactenus demonſtravimus, Vicariis in civitatibus dumtaxat, & provinciis, Imperatori, & Imperio immediate ſubiectis locum eſſe, adeoque eorum poteſtatem, ac iuriſdictionem ceſſare, ſimul ac terrae illae, ac civitates ab Imperatore, & Imperio Principi cuidam cum ſuperioritate territoriali conferuntur: etiam veriſſimum utique erit, eo ipſo, dum potentiſſimo Sardiniae Regi in terris, & feudis Langharum ſuperio-

(1) Leibnit. *Cod. iur. gent. n. 61. p. 127. & n. LXIII. p. 128.*
(2) Marqu. Freher. *Script. rer. Germ. Tom. I.* .. Henr. Meibom. *Script. rer. Germ. Tom. III. p. 210.*

Digitized by Google

perioritas territorialis ceſſa eſt, exſtinctam, ſuppreſſamque eſſe poteſtatem dominorum Vicariorum, eiuſque exercitio, data illa ſuperioritate, non magis, quam Lunae imperio, ubi Sol formoſum os caelo protulit, locum eſſe.

§. XVII. Deinde eiuſdem deciſionis noſtrae fundamentum firmiſſimum in ipſis Pacis praeliminaribus reperimus, ubi Art. IIII. placuit potentiſſimis paciſcentibus: *Pour lequel effét l' Empereur non ſeulement renouvellera en faveur du Roy de Sardaigne tout le contenu du Diplome Imperial du feu Empereur Leopold du* 8. *Fevr.* 1680. *mais de plus il etendra la conceſſion y enoncée ſur toutes les terres, ſpecifiées dans la ſuſdite Liſte, en ſorte, que comme arriere fiefs elles ſoient ſujettes a* ſa Domination immediate. Quum ergo omnes terrae, omniaque feuda Langharum, quae catalogo praeliminaribus ſubiuncto inſerta ſunt, *immediato* potentiſſimi Sardiniae Regis *dominio* ſubiecta ſint: fieri ſane non poteſt, ut immedietatem, quam vocant, in quibuſdam earum terrarum ſalvam habeant domini Vicarii. Duos enim immediatos alicuius territorii dominos in ſolidum eſſe non poſſe, vel ipſa duce recta ratione unuſquiſque intelligit. Quamvis enim fateantur iuris publici interpretes, in Imperio Romano-Germanico etiam mediatos quoſdam ſtatus, quique comitatus, & terras ſuas non ab Imperatore, & Imperio, ſed ab aliis Statibus in feudum recognoſcant, poſſe immediatos imperii ſtatus eſſe (1), nec deſint, qui huiuſmodi

(1) Reinking. *de regim. ſaecul. & Eccleſ. Lib. I. Claſſ. IIII. Cap. XVI.* §. 41. *p.* 425. -- Io. Limnaeus *Iur. publ. Lib. I. Cap. VII.* §. 99. *ſequ. p.* 95. *& Lib. V. Cap. XVI.* §. 7. *ſequ. p.* 372. *item Addition. ad Lib. I. Cap. VII. p.* 74. 75. -- Henr. Cocceii *de charactere Statuum Imp. Sect. III.* §. 19. *Tom. II. Diſſertat. p.* 935.

Digitized by Google

iuſmodi Imperii Statuum permagnum texant catalogum (1): diverſiſſimae tamen ſunt quaeſtiones, an Status, qui nullum territorium immediatum habet, tamquam Imperii civis poſſit ſuffragii iure in comitiis Imperii gaudere? & an quis ratione domini territorialis poſſit eſſe immediatus, quum eius bona omnia domino territoriali ſubiecta ſint? Prius adfirmant iuris publici interpretes, attamen ſimul prudenter monent, id de iis tantum Statibus, qui antiquitus hanc ſibi praerogativam adquiſiverunt, non de novis, quos, territorio immediato deſtitutos, iuris ſuffragii exſortes eſſe iubent Imperii leges, eſſe intelligendum (2). Poſterius ita comparatum eſt, ut nemo id temere conceſſurus videatur, maxime dominis Vicariis, qui cum potentiſſimo Sardiniae Rege non de iure ſuffragii in comitiis Imperii, quale non habent, ſed de tali immedietate, vi cuius in ſuae Regiae Maieſtatis territorio quaedam iura ſublimia nomine Auguſtiſſimi Imperatoris explicare ſe poſſe exiſtimant, contendunt. Immo potius firmiſſimo talo ſtare videtur argumentum. Superioritas territorialis non datur cumulative iis, quibus immediatum ceditur territorii cuiuſdam dominium (3). Quae ſuperioritas cumulative non datur, in eius exercitio cum immediato territorii domino concurrere nec vult, nec poteſt Imperator Auguſtiſſimus. Ergo nec domini Vicarii, qui nihil proprio, ſed Impe-

(1) Ioannes Fridr. Pfeffinger. *in Vitriario illuſtrato, Lib. III. tit. XV.* §. 10. *p.* 1127. *Tom. III.*

(2) *Capitulat. Ferdinandi IIII. art. XXXXV. Leopoldi art. XXXXIIII. Ioſephi art. XXXXIII. Caroli VI. Imp. art. I.*

(3) Io. Simon *de ſuperioritate territor. Cap. V. n.* 2. -- Schweder. *Introd. ad ius publ. part. ſpecial. ſect. II. Cap.* X. §. 8. *p.* 697.

Digitized by Google

Imperatoris, & Imperii nomine omnia agunt, cum eo poſſunt concurrere, adeoque nec in terris Langharum, potentiſſimo Sardiniarum Regi ceſſis, iura quaedam ſublimia vice Auguſtiſſimi Imperatoris, eiuſve nomine explicare.

§. XVIII. Tertium deciſionis noſtrae fundamentum in ipſa *ceſſionis* natura, ac indole poſitum eſt. Omnes enim ceſſiones ita intelligendae, interpretandaeque ſunt, ut nihil exemtum eſſe cenſeatur, niſi quod ſpeciatim, atque expreſſe exemtum, reſervatumque ſit. Si vero unum, vel alterum diſertis verbis excipitur, haec ipſa exceptio, ac reſervatio argumento eſt, reliqua omnia tranſire debere ad ceſſionarium (1). Iam vero in toto iſto *articulo IIII. Pacis Praeliminarium* Auguſtiſſimo Imperatori, & Imperio in terris Langharum nihil reſervatur, praeter dominium directum, ac ſupremum: *En ſorte, que comme arriere fies elles ſoient ſujettes a ſa Domination immediate, & il ſera tenu, de les reconnoitre comme mouvantes, & relevantes de l' Empereur, & de l' Empire.* Ergo ea exceptione firmatur regula in caſibus non exceptis, atque inde recte colligitur, omnia iura, praeter illud ſupremum, directumque dominium, quale illud in feudis Imperii eſſe ſolet, ad potentiſſimum Sardiniae Regem per hanc ceſſionem tranſiiſſe, ac proinde, quum Imperator Aug. & Imperium nulla iura, quae per Vicarios in iis terris poſſint explicari, ſibi reſervarint, ea ipſa ceſſione iſtud Vicariorum officium omnino ſuppreſſum, exſtinctumque eſſe.

§.

(1) Cravetta *Conſil. CCXIIII. n.* 14. *Parte II.* -- Andreas Knichen. *in Commentat. de Saxonico non provocandi iure, Cap. V. n.* 28. *p.* 242. *& de Inveſtiturarum pact. Cap. I. n.* 113. -- Thomas Michael. *de iuriſdict. Cap. XXXV. litt.* C.

§. XVIIII. Accedit quartum, quo deciſio noſtra nititur, argumentum, puta Auguſtiſſimi Imperatoris declaratio, qua potentiſſimo Sardiniae Regi non modo omnia iura, & regalia, quae ad ſuperioritatem referuntur in terris illis, ac feudis Langharum explicare permiſit, verum etiam obligationem impoſuit, poſſeſſores de immedietate indemnes praeſtandi. Inde enim duo conſequuntur. Alterum, quod ſi potentiſſimo ceſſionario omnia iura, ac regalia, quae ad ſuperioritatem territorialem pertinent, in terris illis licet explicare, omnino ei, & iura iſta, & regalia, quae antea domini Vicarii vice Imperatoris, & Imperii ibi exercuerunt, explicare licere debeat. Conceſſo enim territorio univerſali, conceſſa exiſtimantur omnia regalia, & qui territorium, eiuſque ſuperioritatem habet, regalia etiam omnia habere intelligitur (1). Et quamvis non deſint exempla, ex quibus unum, alterumve regale, vel ius ſuperioritatis a ſuperioritate territoriali avulſum, cum aliiſque communicatum eſſe poſſe, intelligitur, & iuris publici interpretes ideo ſuperioritatem in regularem, & irregularem, plenam, & minus plenam, dividere ſoleant (2): tamen neque in Articulis pacis praeliminaribus, neque in illa Auguſtiſſimi Imperatoris Declaratione ullum ius, aut Regale a ceſſa ſuperioritate vel avellitur, vel cum aliis, & ſpeciatim cum dominis Vicariis communicatur. Quum vero

(1) Regner. Sixtinus *de regalib. Cap. I. n. 18.* -- Reinking. *de regim. ſaeculari, & Eccleſiaſtico, Lib. I. Claſſ. IIII. Cap. XVI. n. 47.* -- Huld. ab Eyben *in Electis iuris feudal. Cap. X. §. VIIII. p. 623. Operum.*

(4) Io. Schilterus *Inſtit. iur. publ. Lib. I. tit.* XXIIII. §. 3. -- Limnaeus *Iur. publ. Lib. IIII. Cap. VIII. n.* 187. -- Io. Nic. Hertius *de ſuperioritate territ. §. IIII. p. 192.*

vero in dubio regulae inhaerendum, pro eoque, quod illi convenit, tamdiu praeſumendum ſit, donec exceptio liquido probetur (1): quanto magis, ubi nullum exceptionis veſtigium occurrit, resque non dubia, ſed apertiſſima eſt, ſuperioritas pro regulari, ac plena erit accipienda? Alterum, quod ex declaratione iſta Imperatoris Auguſtiſſimi colligimus, hoc eſt, quod dum pro iuribus illis, quae immedietatis nomine veniunt, poſſeſſoribus terrarum, ac feudorum Langharum indemnitatem longe clementiſſime ſtipulatus eſt, eo ipſo iura Vicariatus ſuppreſſa manifeſto voluerit. Tantum enim abeſt, ut iurium, quae poſſeſſoribus ſalva eſſe volumus, aeſtimationem iiſdem ſtipulari ſoleamus, ut indemnitas ſine damno, iuriſve alicuius aeſtimatio ſine eiuſdem amiſſione, vel deminutione ne intelligi quidem poſſit. Quum ergo immedietatis nomine indemnes praeſtari poſſeſſores voluerint Auguſtiſſimus Imperator, & Imperium, & inter immediata iura in primis ſunt Vicariatus: conſequens profecto eſt, ut ex Imperatoris, & Imperii intentione domini Vicarii ſeſe iuribus ſuis, quae cum ſuperioritate territoriali plane ἀσύστατα eſſe nemo negaverit, abdicare, eaque, accepta indemnitate in potentiſſimum Sardiniae Regem transferre teneantur.

§. XX. Denique & ius clientelare, quod feudalis nomine vulgo venit, novum nobis oſtendit deciſionis noſtrae fundamentum, quandoquidem ipſis Pacis articulis praeliminaribus cautum legimus, ut illae

(1) *Cap. Ad decimas 2. de reſtit. ſpol. in 6.* -- Covarruu *Lib. II. Var. Cap. XII. n. 4.* -- Card. Mantica *de Coniect. ult. volunt. Lib. V. tit. XV. n.* 31. -- Menoch. *recuper. poſſeſſ. remed. XIIII. n.* 32.

Digitized by Google

illae Langharum terrae, tamquam ſubfeuda immediato potentiſſimi Sardiniae Regis dominio ſubeſſent. Iam Vicariatum illum feudorum poſſeſſores quidam, non tamquam officium aliquod perſonale, ſed tamquam ius feudis ſuis inhaerens, & quo una cum ipſis terris ſuis inveſtiti ſint, iactant, neque eos hac in re falli, tot, quae ſupra vidimus, diplomata ſatis ſuperque evincunt. Quum vero nemo ſibi ipſe titulum, cauſſamque poſſeſſionis mutare, adeoque poſſeſſor, quod iure feudi adhuc habet, ſine novo, atque extrinſecus accedente facto, ex alia quacumque cauſſa, tamquam ſuum, poſſidere nequeat (1): Langharum etiam poſſeſſoribus Vicariatus iura non ex alia cauſſa, quam iure inveſtiturae, explicare in terris iſtis licebit. Inveſtituram autem vel ab Anguſtiſſimo Imperatore, vel a potentiſſimo Sardiniae Rege, petere, atque accipere debebunt: quum tamen a neutro illam poſſint exſpectare. Non a Maieſtate Caeſarea, quae feudorum Langharum, quibus Vicariatus iura inhaerere dicuntur, poſſeſſores tamquam ſubvaſallos, potentiſſimo Sardiniae Regi ceſſit, ſubvaſallus vero non ſuperioris domini, ſed vaſalli vaſallus eſt, eique, non illi & ſacramentum fidelitatis, & ſervitia debet (2). Nec a potentiſſimo Sardiniae Rege, quia vicariatum Imperialem nemo niſi ab eo, cuius vices gerit, adeoque

e ab

(1) *L. 13. §. 1. D. de hered. petit.* -- *L. 18. pr. D. de adquir. vel amitt. poſſeſs.* -- *L. 19. §. 1. D. eod.* -- Weſenbecius *Part. I. Conſil. IIII. n. 18.*

(2) *II. Feud. 55. §. Illud quoque praecipimus.* -- Andreas Kohlius *de ſubfeudis*, Cap. IIII. *n. 1. ſequ. & n. 38. ſequ.* -- Knichenius *de inveſtiturae pactis* Cap. V. *n.* 287. -- Io. Guil. Itterus *de feudis Imperii*, Cap. XXII. §. 7.

ab Auguſtiſſimo Imperatore , & Imperio , accipere poteſt . Quod adeo verum eſt , ut ipſi Pontifici , Vicarios Italiae civitatibus cum ſuprema poteſtate imponenti , ab Imperatoribus reclamatum eſſe , conſtet (1) . Si ergo non alio , quam inveſtiturae iure Vicariatus ſuos poſſident domini Vicarii , & illam tamen in poſterum , nec ab Auguſtiſſimo Imperatore , nec a potentiſſimo Sardiniae Rege , ſperare poſſint : res ſane incidit in eum caſum , unde incipere non poteſt , adeoque vicariatus ille , quod demonſtrandum erat , procul dubio exſpiravit .

§. XXI. Quibus poſitis , (ſunt enim haec tam clara , ac perſpicua , ut prolixiore demonſtratione non indigeant ,) nihil fuerit facilius , quam rationes illas omnes , quas ſupra pro dominis Vicariis adduximus , elidere , eaſque ex ipſis iuris publici principiis , quam ſolidiſſime refellere . Quod enim ad *primam* attinet : I. nemo in iure publico Imperii Romano-Germanici tam veluti hoſpes eſt , ut non eos , qui dominis Vicariis illis , de quibus iam quaeſtio eſt , ſuperioritatem quamdam tribuunt , graviter alucinari , ſtatim animadvertat . Superioritas enim eſt poteſtas in certo territorio , cum iuribus regalibus , ſalvo tamen ſummo Imperii iure , coniuncta . Hinc quamvis non ubique ſit eadem , ac proinde a quibuſdam , uti iam ſupra (§. XVIIII.) oſtendimus , in *regularem* , vel *plenam* , & *irregularem* , vel *minus plenam* diſtinguatur , in eo tamen ſemper ſui ſimilis eſt , quod inhaeret territorio , & ſine eo nec concipi , nec intelligi poteſt , quin potius , amiſſo territorio ,

(1) Georg. Schubartus *de Comitibus Palatin. Caeſareis p.* 218. *ſequ.* -- Nic. Hier. Gundlingius *de iure Imperatoris , & Imperii in Etrur. Cap. I. §. LII. ſequ.*

torio, tamquam ius reale illico exſpirat (1). Iam ſi Vicariorum illorum minorum, qui vice ſacra in Italiae civitatibus curarunt, officium, eiuſque originem paullo accuratius perpendimus, numquam illa dignitas ita certo territorio haeſit, ut qui illius eſſent domini, ii, & Vicariorum muneribus fungerentur: ſed eam ſemper, tamquam officium perſonale exploratae fidei, ac virtutis viris collatam eſſe, deprehendimus. Sane enim 1.) illa Vicaria curatio olim paene precaria erat, quae ab Imperatoribus, & Regibus, prout lubitum erat, & dari, & adimi, revocarique conſueverat: quod ſane, ſi in ſuperioritate quadam conſtitiſſet, tam facile contingere numquam potuiſſet. Auctorem habemus *Albertinum Muſſatum*, incorruptae fidei, prudentiaeque eximiae ſcriptorem, a Fridrico II. Imperatore ea dignitate apud Platonicos ornatum eſſe Galicanum Lanceam; eum vero paullo poſt anno MCCXXXXIIII. locum feciſſe Wizardo, Comiti de Roaldeſco, neque tunc ultra quinquennium iſto officio functum, anno MCCXXXXVIIII. ſucceſſorem vidiſſe Anſidium de Widotis. Qualem Vicariorum mutationem Vicentiae etiam, & in aliis Langobardiae civitatibus crebro, & pene quotannis factam eſſe, *Maurifius*, coaevus auctor, fideque proinde digniſſimus, memoriae prodidit (2). Deinde 2.) inter hoſce Vicarios, & homi-

 nes

(1) Schwederus *Introd. in ius publ. parte ſpeciali Cap.* X. §. 13. Vitriarius *Iur. publ. Lib. III. tit. XV.* §. 10. -- Ioann. Iacobus Maſcovius *Iur. publ. Lib. VI. Cap. I.*

(2) Albertin. Muſſatus *in Memorabilibus temporum Lib. VI. p.* 49. 55. 58. -- Gerardi Maurifius *de diſſidiis Eſtenſium cum Ecelino apud* Leibnitium *Scriptor. rer. Brunſuicenſium Tom. II. p.* 26.

Digitized by Google

nes peregrinos, nullius in Italia territorii, & ne praedii quidem fortaſſis ullius poſſeſſores, fuiſſe novimus: quales fuerunt Gevehardus de Saxonia, quem Fridricus II. Marchiae Tarviſinae; Rudolphus ab Hoeneck, Ioannes ab Aveſnis Hannoniae Comes, & Henricus Furſtenbergius, quos Rudolphus I. Rex Rom. Tuſciae; denique Ioannes Gabillonenſis Comes, quem Adolphus Rex eidem provinciae praefecerunt (1). Quis vero peregrinis illis ideo ſuperioritatem territorialem tribueret in Italia, quod eo ab Imperatoribus, & Regibus cum imperio vicario miſſi eſſent? Praeterea 3.) ſaepe illa dignitate ornatos animadvertimus homines privatos, & ne ulla quidem antiquitate generis, gloriaque maiorum florentes, qui ſuae tantum induſtriae ingeniique dexteritati hoc decus debebant: quales fuerunt non modo Manfredus Richus, civis Taruiſinus, & Guillelmus, civis Mantuanus, quos Vicentinis a Fridrico II. Imp. vicarios datos eſſe, refert Mauriſius (2): verum etiam Bulgarus, iuris Romani Bononiae doctor, quem propter inſignem doctrinam, & prudentiae laudem Fridricus I. Imp. civitati Bononienſi vicarium praefecit, tantam aequitatis laudem illa iuriſdictione ſua conſequutum, ut eius ſententiae de ambiguo iure probatae in univerſa Italia vim legis habuiſſe dicantur, exemplo Craſſi, quem contra receptas in iure opiniones, ipſumque ius ſcriptum multa pro bono, & aequo dixiſſe, Cicero ſcribit (3). Quis vero hominibus iſtis pri-

(1) Albertin. Muſſat. *ibid. Lib. IIII. p.* 35. -- Edmund. Martene *Theſaur. anecdot. Tom. I. p.* 1192. -- Lambecius *Bibliothec. Vindebon. Lib. III. addit.* 8. -- Ptolem. Lucenſis *in Annalibus ad annum MCCLXXXXVI.*

(2) Mauriſ. *Hiſt. Taruiſin. p.* 27.

(3) Guido Panciról. *de claris legum interpret. Lib.* X. *Cap. XXVI.*

privatis, nullo alio ſplendore, quam muneris ſui dignitate fulgentibus ſuperioritate quadam territoriali polluiſſe ſomniaret? Neque obſtat, 4.) illa vicariatus iura poſtea illuſtribus quibuſdam familiis per modum feudi data eſſe. Ea enim Imperatorum, & Regum liberalitate, ac munificentia, non ipſa Vicariatus natura, ſed modus tantum habendi mutari coepit, eaque id ſolum effectum eſt, ut dignitas illa, quae antea, uti alia oficia, cum perſona exſpirabat, iam perpetuo eſſet penes familiam, & ad poſteros, tamquam gentilitium aliquod decus tranſiret. Superioritatem vero talis inveſtitura non magis tribuere potuit poſſeſſoribus Langharum, quam illa infeudatio, qua lucroſum aliquod officium, at nulli territorio adſtrictum, veluti praefectura curſus publici, illuſtri cuidam familiae conceditur. II. Nihil ponderis ineſt iis, quae ſupra (§. VIII.) in contrarium adlata ſunt. Exiſtimavit equidem laudatus ibi Struvius, *iura ſuperioritatis conceſſa eſſe vicariis:* ſed idem ſtatim addit: *quae tamen non propria, ſed ex delegata poteſtate exercere poterant.* Atqui ſuperioritas territorialis non ex delegatione, ſed iure proprio, id eſt, ex iure dominii utilis, quod in territoriis ſuis per inveſtituram territoriorum poſſeſſores accipiunt, competit (1), eaque ratio eſt, cur in tabulis publicis domini territoriorum *veri, & naturales domini* vocentur (2). Hinc tan-

(1) Id contra Andr. Gailium, Stammium, Limnaeum, Strauchium ex inſtituto probavit Io. Nic. Hertius *de ſuperioritate territoriali §. LXVIIII. & §. LXXIII.*

(2) *Dipl. Sigiſmundi Imp. anni MCCCCXXIIII. apud* Beni. Leuberum *de Stapula Magdeb. num. MII. Dipl. Fridrici V. Imp. anni MCCCCLIIII. apud* wigul. Hundium *in Metropoli Salisb. p.* 288. *ſequ.*

Digitized by Google

tantum abeſt, ut in hoc *Struvii* teſtimonio dominis Vicariis quidquam ſit praeſidii, ut ex eo manifeſto probari poſſit, nullam plane ſuperioritatem conceſſam eſſe Vicariis. Quemadmodum enim, qui mandatam iuriſdictionem ſuſcipit, auctore Papiniano, *proprium nihil habet*, ſed eius, qui mandavit, iuriſdictione utitur (1): ita Vicarii, dum iura Imperii mandato Auguſtiſſimi Imperatoris tuentur ac exercent, nihil proprium habent, nec magis ſuperioritate gaudent, quam intimi Status adminiſtri aut Conſiliarii, qui iura Principum ſuorum exercent, eorumque iuſſu dant operam, ne quid illa detrimenti capiant. Quare recte, atque accurate rationes ſubduxit *Fridricus Ludovicus Nobilis Dominus de Berger*, Iudicii Aulici Caeſarei Conſiliarius nuper graviſſimus, dum diſcrimen, quod inter ſuperioritatem territorialem, & poteſtatem delegatam Vicariorum Italiae intercedit, ita exponit: *Superioritas conceditur iure feudi, quod involvit Facultatem aliquam propriam, non vicariam: Vicariatus ius vero nil, quam adminiſtrationem, vel mandatum continet, nec in ius proprium degenerat, licet perpetuus exſtet ille* (2). III. In omnibus, quibus vicariatus conceditur, diplomatibus, nullum ius, vel regale conceditur Vicariis, quod per mores, ac conſuetudines Imperii non poſſit, vel per alios explicari, vel communicari etiam cum illis, quibus nulla competit ſuperioritas. Sunt in Germania Comites ac Barones mediati, &, uti in Saxonia vocantur, *Landſaſſii*, id eſt, dominis territoriorum ſubiectionis lege obnoxii, qui multo luculentiora regalia intra dyna-

(1) L. 1. §. 1. *D. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.*

(2) Bergerus *Animadv. ad* Henr. de Cocceii *Iur. publ. prudent. p.* 91.

Digitized by Google

naſtiarum ſuarum fines exercent, quam quae in diplomatibus iſtis enumerantur, nec tamen ideo ulla ſuperioritate gaudere exiſtimantur. Eſt illis ius praeſidiatus, merumque imperium: operam dant, ut malis hominibus purgetur provincia: cauſſas tum civiles, tum criminales in tribunalibus ſuis audiunt, irrogant mulctas: decreta ſuper tranſactione de alimentis & alienationibus rerum ad minores pertinentium interponunt: reſtituunt in integrum, adpellationes recipiunt, omniaque agunt, ex conceſſione dominorum territorialium, quae Vicariis ex Imperatorum mandato agere licuiſſe, vidimus, nec tamen inde quiſquam colligit, illis ſuperioritatis iura, quae in ſubditum non cadunt, competere. Qua fronte ergo illis Italiae Vicariis ob regalia quaedam, antea vice Imperatorum exercita, vindicaretur ſuperioritas, quos Auguſtiſſimus Imp. & Imperium in poſterum ſubditos eſſe voluit Regi Sardiniae potentiſſimo? Multum diſcrepant ſuperioritas & regalia: nec continuo, qui regalia, idem & iura territorialia habet. Superioritatem ſoli immediati habent: regalia etiam ſtatus mediati. Superioritas eſt totum poteſtativum, quod in ſe virtualiter continet etiam regalia: non vero viciſſim. Conceditur ſuperioritas a ſolo Caeſare: regalia & a Statibus (1). Itaque ſi vel maxime terrarum Langharum poſſeſſores omnia iſta regalia, quae in diplomatibus ſupra laudatis recenſentur, ſibi propria haberent: inde tamen argumentum duci non poſſet, iis ſuperioritatem competere. Quanto minus ergo iſti illam ſibi adrogare poterunt, quum regalia omnia

(1) Roſenthal. *de feud. Cap. III. Concl. XIII. Confer. Receſs. Imp. anni MDXXXXVIII. §. wiewohl auch. & ann. MDLXXVI. §. Dadurch dann.*

omnia exercuerint tamquam Imperatoris Vicarii, qui, uti iam monuimus, nihil habent proprium, ſed iuribus tantum alienis mandato dominorum utuntur?

§. XXII. Quibus obſervatis, & alterum, quod pro dominis Vicariis adduximus, argumentum, ſua veluti mole ruit. Fruſtranea enim & ἀπροσδιόνυσος eſt omnis de modis ſuperioritatem territorialem amittendi diſputatio, ubi nulla eſt, quae amitti poſſit, ſuperioritas. Potius ergo quaeritur, an non Imperatori & Imperio liceat ſupprimere, ac revocare Vicarii dignitatem, iure feudi conceſſam alicui familiae? Id vero quis negaverit? Nam I. extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, urgente neceſſitate populum partem regni ita poſſe alienare, ut ea in alterius & novi domini poteſtatem perveniat. Quamvis enim id invita illa parte fieri poſſe neget Grotius: eius tamen hypoteſin iam alii ſolidiſſimis argumentis profligarunt (1). Si vero ut ipſa regni pars etiam invita alienari poſſit, efficit imperioſa neceſſitas, quamvis eam tunc dominio alterius ſubiici, & a ſocietate civili, cuius antea pars erat, plane ſegregari oporteat: quanto magis Imperio licebit feuda quaedam immediata, quorum poſſeſſoribus Vicariatus dignitas tamquam auctarium quoddam adiecta eſt, urgente neceſſitate ita cedere, ut ſalvum ſibi ſit directum, ac ſupremum dominium? II. Fieri id poſſe, ſuperiore ſaeculo docuit experientia, quum eo loco eſſent res Germaniae, ut pacem a Gallis & Svecis redimere non poſſet, niſi ceſſis ampliſſimis, fertiliſſi-

miſque

(1) Io. Fridricus Gronovius *Not. ad Grotium de iure belli, & pac. Lib. II. Cap. VI.* §. 4. -- Boeclerus *in Notis ad Grot. ibidem.* -- Samuel Pufendorff. *de iure nat. & gent. Lib. VIII. Cap. V.* §. 9.

miſque provinciis, quarum aliae pleno iure, aliae ſub clientelae lege ad Reges illos exteros pervenerunt, iiſque veluti noxae datae ſunt. Reclamarunt tum civitates liberae, reclamarunt Eccleſiarum Metropolitanarum Capitula, provinciarum Ordines, quin & Principes potentiſſimi, qui ſibi ius ſuum interverti, graviter conquerebantur. Sed fruſtra haec omnia: quia exhauſtae diuturno bello Germaniae quaelibet honeſta eſſe videbatur ratio expediendae ſalutis. Quod ergo in maioris momenti provinciis potuiſſe fieri, factumque eſſe, docuit experientia: quidni & fieri poſſet in feudis Langharum, ideo tantum, quod quidam eorum poſſeſſores vicariatus dignitate ornati ſint? III. Ipſos vicariatus, etiam in feudum datos, ita comparatos eſſe, ut ob iuſtam cauſſam ſupprimi, atque exſtingui poſſint ab Imperio, illuſtri ſatis exemplo facile probatur. Nimirum quum anno erae Chriſtianae MDCLVII. Carolo, Mantuae Duci, Vicarii generalis dignitatem luculento diplomate contuliſſet Ferdinandus III. Imperator, ſereniſſimus vero Dux Sabaudiae id cum praeiudicio ſuo coniunctum eſſe quereretur: exemto paullo poſt rebus humanis Caeſare, Electores non ſolum die IIII. Octobr. MDCLVIII. litteras dederunt ad Mantuanum, quibus nulla declaratur illa Vicariatus conceſſio (1), verum etiam Capitulationi, ab Auguſtiſſimo ſucceſſore Leopoldo iureiurando firmatae, hanc inſeruerunt clauſulam: *Praeterea & ea, quae Collegium Electorale d. IIII. Octobr. ad Ducem Mantuae de annullando, & ſupprimendo Vicariatu, & Generalatu in Italia, in prae-*

f *indi-*

(1) Bruſſoni *Hiſtoria d' Italia Lib. XXVI. p.* 701. -- Ioannes Auguſtinus Paſtorius *in Lauru Actor. publicorum*, *Parte I. p.* 158. *ſeq.*

Digitized by Google

iudicium Domus Sabaudicae adſectato ſcripſit, *omnino adprobamus*, *& confirmamus*, *noſque ut earum litterarum tenor exitum habeat*, *curaturos*, *& Duces Sabaudiae in iure*, *& privilegiis vicariatus pro eo*, *ac decet*, *defenſuros*, *promittimus* (1). Et quamvis Dux Mantuanus die XX. Iul. MDCLVIII. contra totum iſtum articulum proteſtationem, quam paullo ante laudatus Paſtorius totam exhibet, interponeret (2): adeo tamen ille nihil profecit, ut potius eadem clauſula anno MDCLXXXX. in *Capitulatione Ioſephi*, & anno MDCCXI. in *Capitulatione* Auguſtiſſimi *Caroli VI.* Imp. iiſdem verbis occurrat (3). Si ergo Vicariatus etiam generalis Domui Gonzagarum ab Imperatore tam ſollemniter conceſſus Capitulationibus, quae pro legibus Imperii ſunt, ſuppreſſus, & pro nullo declaratus eſt, quia iuſta cauſſa eſſe videbatur Imperio: quanto magis ſupprimi poterunt vicariatus minores, ſi id neceſſitas, quae legem non habet, urgeat, reſque eo loco ſint, ut iura illa, ac munia cum illis coniuncta non amplius poſſint explicari?

§. XXIII. Sed & tertiae dubitandi rationi, his obſervatis, multo facilius ſatisfiet. Quamvis enim negari non poſſit, non temere revocanda eſſe conceſſa ob bene merita privilegia, & ultro largiamur, earum cauſſarum, ob quas ordinarie adimi poſſe dicuntur, nullam hic videri locum habere: tamen & hic iuſtiſſimam exceptionem ſuppeditat neceſſitas, reique publicae ſalus, cui, tamquam ſupremae legi, pri-

(1) *Capitulatio* Leopoldi *Art. IIII. ſub finem*.

(2) *Part. II. p.* 35. *ſequ.* -- *Addantur* Bruſſon. *Lib. XXVIII. p.* 723., & *Auctor. Meditationum in Capitulationem Ioſephi I. ad Art. IIII. p.* 89.

(3) *Capitulat.* Ioſephi *Artic. IIII. Capitulat.* Caroli VI. *Imp. Art. XXVI.*

privilegia omnia, iuraque civium cedere oportere; inter omnes conſtat (1). Maximus enim eſt reipublicae favor, cui pleraque alia, etiam quae iure optimo maximo niti videntur, poſtponenda ſunt, adeo ut eius ſervandae cauſſa, plerumque a iuris communis regulis recedi, ipſiuſque Principis utilitas aliquando reipublicae condonari ſoleat (2). Hinc *ſi contentio quaedam, & comparatio fiat, quibus plurimum ſit tribuendum officii: principes ſunt patria, & parentes, quorum beneficiis maxime obligati ſumus* (3). Quum vero tanta ſint in nos patriae merita: quis non viciſſim ſua omnia in utilitatem huius, neceſſitatemve expendere velit? *Grotius* ſane, & *Puſendorffius*, quamvis id, quod a multis traditum eſt, beneficia Principum, quae liberaliter conceſſa ſunt, ſimpliciter poſſe revocari, ſine diſtinctione tranſmittere nolint: privilegia tamen etiam alioquin irrevocabilia, ob utilitatem publicam *cum compenſatione* iure revocari, diſerte fatentur (4). Atqui hic omnia, quae doctores ad extinguendum privilegium etiam ob bene merita conceſſum exigunt, concurrere, nemo negaverit. Bello difficillimo implicitus Imperator Auguſtiſſimus una cum Imperio ſatis animadverte-

 bat,

(1) Felinus *in Cap. Quae in Eccleſiarum* 7. *X. de conſtitut.* -- Io. Faber *in l.* 3. *C. de quadriennii praeſcript.* -- Andr. Gailius *Lib. II. Obſ.* 56. -- Iacob. Menoch. *de recuper. poſſeſſ. remed. X. n. III.* -- Acacius ab Enenkel *de privileg. Lib. III. Cap. VII.*

(2) *L.* 10. *C. de SS. Eccleſ.* -- *L. ult. C. ſi contra ius, vel util. publ.*

(3) Cicero *de offic. Lib. I. Cap. XVII.*

(4) Hugo Grot. *de iure belli, & pac. Lib. II. Cap. XIIII.* §. 13. Sam. Pufendorff. *de iure nat. & gent. Lib. VIII. Cap. X.* §. 9.

bat, non aliter ſe in tanta tempeſtate ratem ſalvam ſubducturum in portum, niſi veluti iactum faceret, paciſque cauſſa tractus quoſdam terrarum, in quarum numero, & feuda illa Langharum erant, cederet. Privilegia quaedam Vaſallorum hoc ipſo deminutum iri, facile intelligebat, ac proinde iis indemnitate ſtipulabatur a potentiſſimo ceſſionario. Quid ergo ſupereſt, quam ut eam privilegiorum ſuorum deminutionem, accepta aeſtimatione aequo animo ferant domini Vicarii, memores eorum, quae bonis Civibus inculcat Cicero, *pro republica nos mori, eique nos totos dare, in ea denique noſtra omnia ponere, & quaſi conſecrare debere* (1). Ut compendii faciam orationem, quaecumque de privilegiis ſine iuſta cauſſa non revocandis ſupra a nobis dicta ſunt, ea omnia ſe habent rectiſſime, ſi cum hac reſtrictione, quod ſalus populi ſuprema lex eſſe debeat, intelliguntur: nunc vero non quadrant huic ſpeciei, ex qua ſummam neceſſitatem, ſalutemque reipublicae hanc privilegiorum vicariatus ſuppreſſionem extorſiſſe Imperio, perſpicue intelligitur.

§. XXIIII. Quod ad quartam dubitandi rationem attinet, ne in illa quidem multum praeſidii eſſe poteſt dominis Vicariis. Nam I. lex illa Conradi, quae dominium directum, invitis, ac refragantibus vaſallis, in alium transferri vetat, in ipſo Langobardiae tractu, in quo feuda Langharum ſita ſunt, iam a multis ſaeculis obſolevit, ſiquidem ipſe conſuetudinum feudalium compilator ſtatim ſubiicit: *Quod Mediolani non obtinet. Ibi enim ſine curia etiam beneficium totum recte alienatur, dum tamen aut aequali domino, aut maiori vendatur* (2). Quae aequalitas

(1) Cicero *de legibus*, *Lib. II. Cap. II.*
(2) *II. Feud.* 31. §. 1.

litas procul dubio non de dignitate, ac ordine, ſed de ſtatu, ac conditione intelligenda eſt, nec umquam dubitatum eſſe crediderim, quin Princeps dominium directum cedere poſſet Principi, Comes Comiti, ſi vel maxime cedens, quod ad προεδρίαν, vel dignitatem attinet, praerogativa quadam donatus eſſet. Deinde II. nullam eſſe huiuſmodi ceſſionem, facile largimur, ſi voluntaria ſit alienatio, nullaque eius iuſta cauſſa ſubeſſe videatur. Urgente enim neceſſitate, & feuda alienari poſſe a dominis, & ſaepenumero alienata eſſe, tot argumentis, atque exemplis probarunt viri docti, ut nobis ocium omnino feciſſe videantur (1). III. Quod de Arthuro, Britanniae Armoricae Duce, Caroli Molinaei fide referri ſolet, nec adeo certum eſt, quum illam hiſtoriam ſcriptores coaevi fere ignorent, & ſi res vere ita geſta eſſet, parum ad rem faceret. Neque enim hodie tanti erit apud quemquam Azonis, viri ab omni iuris publici notitia, prudentiaque civili parum inſtructi, auctoritas, ut eius ſententiam pro oraculo habendam eſſe exiſtimet. Quid enim ratione illa, qua Azonem uſum eſſe ferunt, abſurdius, quid in Reges ipſos, ac Principes contumelioſius poſſet excogitari? Negavit ſtupor ille hominis, a Galliae Rege vaſallum cedi poſſe Regi Angliae, quippe domino illo priore indigniori. Sed talia fuere, quae barbari iſti homines tunc fuderunt, oracula, id eſt, digniſſima ſuis auctoribus, quippe qui omnis rerum civilium non modo uſus, ſed & ſcien-

(1) Vaſquius *Controv. illuſtr. Lib. I. Cap. V. & VI.* -- Roſenthal. *de feudis Cap. VIIII. Concl. LXII. num.* 20. 22. 28. -- Struv. *Syntagmat. jur. feudal.* Cap. XIII. *Aphor. I. n.* 3. 4. -- Itter. *de feud. Imper.* Cap. XXIII. §. 17. *p.* 997.

ſcientiae expertes, nec ulla iuris gentium notitia imbuti, ſolo freti ICtorum nomine, ipſorum ſummorum imperantium iuribus, ac dignitati impune inſultarunt. Quaſi vero Rex Rege ſit indignior, ac non potius ipſa recta ratio unumquemque doceat, eam eſſe ſtatus naturalis, in quo ſummi Imperantes invicem conſiderati vivunt, naturam, atque indolem, ut inter ſe perfecte aequales, eiuſdemque dignitatis habendi ſint (1). Denique IIII. capitulationibus Caeſareis non ipſae Vaſallorum Imperii alienationes abſciſſe prohibentur, ſed id ſolummodo cavetur, ne quid ex rebus Imperii ſine Electorum, Principum, Statuumque permiſſu, ac decreto abalienetur (2). Quamobrem nihil vitii ineſt ceſſioni dominii directi in feudis Langharum quippe urgente neceſſitate, & ſuffragante univerſo Imperio factae, ex eoque ſua ſponte ſequitur, nihil ſubeſſe cauſſae, cur, ea facta, immedietatem ſibi nihilominus ſalvam eſſe exiſtiment domini Vicarii.

§. XXV. Ut ad rationem dubitandi quintam progrediamur, nec ſublimia illa iura, Auguſtiſſimis Imperatoribus propria, quæ *reſervata* vulgo adpellantur, dominis Vicariis tantum profutura exiſtimamus, ut eo obtentu ſubiectioni Regis Sardiniæ potentiſſimi ſeſe ſubtrahere, eique obſequium iuſte denegare poſſe videantur. Nulla enim iura explicare licet Vicariis ſpecialibus, ac minoribus, quam quorum il-

(1) Sam. Pufend. *de iur. nat. & gent. Lib. VIII. Cap. IIII.* §. 18. -- Iac. Gothofred. *de iure praeced. Cap. III.* §. 19. *p.* 88. *ſequ.* -- Ehrenh. Zweyburgii *Theatr. praeced. part. I. Cap. IIII.*

(2) *Capitulat.* Caroli VI. *Imp. Artic. X.* -- *Auctor. Meditationum in Capitulationem Ioſephi Regis Rom. art. XII. p.* 132. *ſequ.*

illis ſpecialiter mandatum eſt exercitium . Ex tam multis vero , quae exſtant , diplomatibus patet , illis non tam iura Imperatoribus reſervata mandata eſſe , (niſi forte cum Vicariatu conjuncta eſſet comitiva S. Palatii , de qua paullo poſt erit dicendi locus ,) quam iuris dicundi poteſtatem , merum imperium , facultatem Magiſtratus , & Iudices conſtituendi , adpellationes recipiendi , earumque cognoſcendi cauſſas, immo, & aliquando ius belli, & pacis, eatenus ſaltim , ut imperium detrectantes , ac veluti fraena mordentes, iuſtis armis in ordinem cogere poſſent. Haec vero omnia non ad reſervata illa Imperatoribus iura , ſed ad ipſam maieſtatem Imperatoris pertinere, nemo non intelligit. At notum eſt, Auguſtiſſimum Imperatorem nolle huiuſmodi maieſtatis iura in Statuum territoriis exercere , niſi cauſſa aliqua adpellationis, aliave legitima via, ad ſupremum eius tribunal devoluta, vel ita comparata ſit, ut ſua natura ad maiorem rempublicam , ſeu totum Imperium pertineat (1). Si ergo verum eſſe ponamus , ad iura tantum Imperatoribus reſervata pertinere Vicariorum poteſtatem , eorum vero, quorum mentio fit in diplomatibus, nullum fere ad iura illa reſervata, ſed omnia ad ſuperioritatem territorialem pertinent: conſequens eſt , ut , tranſlata in potentiſſimum Sardiniae Regem ſuperioritate , omnis exſtincta ſit Vicariorum poteſtas . Quum enim tanta ſit Auguſtiſſimi Imperatoris aequitas , tantaque in tuendis Imperii legibus religio , ut ne ipſe quidem , in Statuum territoriis,

(1) *Inſtrum. Pac. Oſnabr. Art. VIII.* §. 1. -- Reinhardus Bachov. *ad* Treutler. *Vol. I. Diſp. III.* §. *6. litt.* C. -- Furſtener. *de ſupremata Principum German. Cap.* XVIIII. -- Hertius *de ſuperiorit. territ.* §. *LXXI. p.* 338.

ritoriis, ius dicere, ius gladii, vel merum imperium exercere, magiſtratus, & iudices conſtituere, adpellationes, præterito territorii domino, per ſaltum interpoſitas, recipere, tutores dare, decreta de alienationibus rerum minorum, Eccleſiarumque, vel de tranſactionibus ſuper alimentis interponere, aliaque huiuſmodi iura in praeiudicium Statuum explicare vel velit, vel ſoleat: quis id licere dixerit Vicariis in iis terris, quarum dominium directum cum ſuperioritate territoriali potentiſſimo Sardiniae Regi tam ſollemniter ceſſum eſt ab Imperatore, & Imperio, niſi quis Vicariis plus, quam ipſis Imperatoribus, contendat licere? Quod quam abſonum, ac paene ridiculum ſit, nemo eſt, quin illico animadvertat.

§. XXVI. Poſtremo nec ſextum, quod pro dominis Vicariis adduximus, argumentum ita comparatum eſt, ut illius cauſſa vadimonium quis deſerere velle videatur. Nam I. ſi quid certum, ac definitum pretium non habet, (quod contingere animadvertimus rebus omnibus, quae adfectionem quamdam ſingularem admittunt) non illico id inæſtimabile eſſe dicendum eſt. Sane enim, & ipſum adfectionis pretium eſt aeſtimabile, & ex legum praeſcripto, delato iureiurando in litem, quotidie ſolet aeſtimari, & quamvis ius noſtrum ob reorum dolum, & contumaciam actores in infinitum iurare patiatur: iudici tamen, ut ſi forte actor arrepta occaſione in immenſum iurare velit, modum aeſtimationi ſtatuat, diſerte permittit (1). Quod profecto fieri non poſſet, ſi quae ob adfectionem certum pretium non recipiunt, abſciſſe inaeſtimabilia eſſent dicenda. Deinde

(1) *L. 4. §. 2. D. de in litem iur.*

Digitized by Google

inde II. quod immedietatem Imperii attinet, ipſe Auguſtiſſimus Imperator, dum Potentiſſimo ceſſionario onus, Vaſallos eo nomine indemnes praeſtandi, pro incomparabili aequitate ſua impoſuit, ſatis profecto oſtendit, hoc ius ſua natura eſſe aeſtimabile, dumne Vaſalli ſint eo animo, ut omnes etiam aequiſſimas conditiones reſpuant. Et quis, quaeſo, ignorat, ſaepenumero iura multo luculentiora, quin totas provincias cum ſuperioritate territoriali aeſtimato aliis ceſſas, traditaſque eſſe? Eius ſane ceſſionis exemplum exſtat notiſſimum, puta Alberti Degeneris, Thuringiae Landgravii, qui totum Thuringiae principatum XII. marcarum millibus vendidit Adolfo Naſsovio Regi (1). Quae alienatio, quamvis ex aliis rationibus eſset irrita, argumento tamen eſt, poſse, & integros principatus immediatos pretio aeſtimari. Quis porro ignorat ceſſionem territorii Epiſcopatus Ultraiectini, anno MDXXVIIII. ab Henrico Bavaro, Epiſcopo, Carolo V. Imperatori factam, & a Clemente Papa VII. inſequente anno ſingulari bulla firmatam, & quidem, uti ipſae tabulae ceſſionis habent, *in recompenſam, reſtitutionem, & ſatisfactionem pro favore, amicitia, amore, honore, & adſiſtentia domino reverendiſſimo, Eccleſiae, & patriae ſuae tempore neceſſitatis exhibitis, & factis*, magna pecuniarum ſumma, *per eamdem Caeſaream Maieſtatem propterea expoſita, & ſoluta* (2). Quin noſtra memoria, ut alia exempla praetermittamus, potentiſſimum

g Da-

(1) *Hiſt. Landgr. Thuring. Cap. VII. & ſequ.* -- Paull. Langius *Chron. Citiz. ad ann.* 1294. *apud* Piſtor. *Tom. I. Script. rer. Germ. p.* 157.

(2) Leibnitius *Mantiſſ. Cod. iur. gent. diplom. n.* XXXXI. *p.* 214. Lambert. Hoſtenſius *Rer. Ultraiect. Lib. VII. p.* 166. *ſequ.*

Digitized by Google

Daniae Regem Bremenſem Ducatum, ereptum Svecis, ſereniſſimo Electori Brunſu. & Luneb. accepta magna pecuniae ſumma ceſſiſse, eamque ceſſionem & a Svecis, & ab ipſo Imperio ratam habitam eſse; neminem ignorare credimus. Quis ergo dubitet, quin & illa Vicariatus dignitas, quacum coniuncta poteſtas exiguo ſatis terrarum ſpatio finitur, nec fortaſſis admodum lucroſa eſt, aeſtimationem admittat. Neque III. obſtat, quod de iurium aeſtimatione ex Ordinatione, quam vocant, Iudicii Cameralis adduximus. Ea enim iuribus etiam minimi momenti id tribuit, ut partes litigantes lege publica de ſumma adpellabili non impediantur, quo minus ſuper illis ſuprema Imperii iudicia poſſint adpellare. Quis vero ex eo, quod iurium qualiumcumque aeſtimatio quadringentorum florenorum valorem excedere poteſt, iura omnia inaeſtimabilia eſse, colligat?

§. XXVII. Sed haec quidem de vicariatus iuribus dicta ſunto. Quum ergo hactenus argumentis, ut opinor, ſolidiſſimis demonſtratum ſit, 1.) vicariae iſti poteſtati non niſi in terris imperii immediatis locum eſse; adeoque in territoriis, quorum ſuperioritas Principi cuidam competit, eam prorſus exſulare: (§. XVI.) 2.) ſuperioritatem territorialem ab Auguſtiſſimo Imp. & Imperio non cumulative dari ſolere, nullaque adeo in territoriis mediatis ſupereſſe iura, & regalia, quae a dominis Vicariis nomine Caeſareae Maieſtatis, atque Imperii explicari poſſint: (§. XVII.) 3.) in ceſſione facta potentiſſimo Sardiniae Regi nullum omnino ius exceptum, reſervatumque eſse, quod vice Caeſareae Maieſtatis in terris Langharum explicari poſſit a dominis Vicariis: (§. XVIII.) 4.) potius iura, & regalia omnia, quae

Digitized by Google

antea Imperatoris, & Imperii nomine exercuerant domini Vicarii, una cum ſuperioritate territoriali in potentiſsimum Sardiniae Regem eſse tranſlata: (§. XVIIII.) Praeterea 5.) dominos Vicarios, qui feuda Langharum poſſident, non ex alia cauſsa, quam ex inveſtitura ea dignitate gaudere poſſe, eam vero inveſtituram illos in poſterum nec ab Auguſtiſſimo Imperatore, nec a Rege Sardiniae potentiſſimo, expectare poſſe: (§. XX.) 6.) dominis Vicariis, qua Vicariis, nec ſuperioritatem, (§. XXI.) nec 7.) ius aliquod irrevocabile competere: (§. XXII. XXIII. XXIIII. & XXV.) denique 8.) eam dignitatem eſſe aeſtimabilem, ac proinde oblata, acceptaque indemnitate, facere non poſſe dominos Vicarios, quin ad praeſcriptum Auguſtiſſimi Imperatoris vicaria illa poteſtate ſeſe abdicent: (§. XXVI.) neminem amplius dubitaturum arbitramur, quin cum ſuperioritate territoriali Regiae Maieſtati Sardinicae ceſſa non conſiſtant vicariatus iura, neque adeo illa ſalva, atque illibata in poſterum eſſe poſſint dominis Vicariis.

§. XXVIII. Quum vero aliqui ex dominorum Vicariorum numero, & quidam alii feudorum Langharum poſſeſſores, ſeſe etiam dignitate *Comitum S. Palatii* Lateranenſis antiquitus ornatos eſſe contendant: proximum eſt, ut de coniunctis cum comitiva iſta iuribus ſententiam noſtram exponamus. Et ſane, ſi recte ponimus calculum, par eſſe videtur Vicariatus, huiuſque Comitivae, ratio. Qui enim in illius origines paullo accuratius inquiſiverunt, viri doctiſſimi, nominis tantum ſono differre has dignitates, & Comitivam hanc in locum Vicariatuum Italiae a Ludovici Bavari, Imperatoris, temporibus

ſurrogatam eſſe, exiſtimant (1). Quum enim poſt Fridrici II. tempora, quibus ab Imperatore, Italiam ſaepius luſtrante; manu quaſi regia cuncta geſta eſſe, novimus, rebus Imperii in deterius euntibus, potentioribus voluntas pro ratione, & vis pro iure eſſe coepiſſet, Guelphorumque factio, opibus valida, nihil faceret reliqui, ut Caeſarum auctoritas per Italiam vileſceret: eo ventum eſſe aiunt, ut, attrita Imperii maieſtate, non iam Imperatores amplius, ſed Pontifices Romani, *vicarios*, & *paciarios*, uti tum vocabantur, darent provinciis Italiae, idque ſatis probare videntur Clementis Papae IIII. & Bonifacii Papae VIII. tabulae, quorum ille anno MCCLXIIII. Carolum Andegavenſem, Siciliae Regem, Imperii vicarium; hic anno MCCCI. Carolum, Philippi, Regis Francorum, filium Imperii *Paciarium in Tuſcia* inſtituit (2). Addunt viri docti, reſtitiſſe aliquamdiu Reges, & Imperatores, poſt fatale illud interregnum rerum in Germania potitos, ſed imparibus plerumque tantae turbarum moli viribus: donec Ludovicus Bavarus imperii maieſtatem omni vi, ac ope reſtituere conatus, accepta Romae corona Imperiali, inter alia iura, & palatium Lateranenſe ſibi, & imperio vindicarit, primuſque inſtituerit palatii iſtius comites, & inter primos quidem Caſtrucium, Ducem paullo poſt Lucanum, ea digni-

(1) Georg. Schubartus *de Comitibus Palat. Caeſareis p.* 216. 218. *ſequ.*

(2) Odericus Raynaldus *Annal. Eccleſiaſt. ad ann. MCCLXVII. num.* 7. *p.* 142. -- Idem *ad annum MCCCI.* -- Franc. Ughell. *Ital. ſacrae Tom. III. p.* 525. -- Giovanni Villani *Chron. Flor. Lib. VII. Cap. LVI. Lib. VIII. Cap. XXXXII. & XXXXVIIII.*

Digitized by Google

dignitate ornarit .. Quod denuo probatur tabulis publicis, in quibus Ludovicus, Imperator, *Comitatum S. Lateranenſis palatii ad fiſcum ſuum, & S. Romanum Imperium iuſtis, ac legitimis cauſſis devolutum adplicatumque eſſe*, profitetur (1). Quum ergo a vicariatu Imperii parum differat Comitum S. Palatii dignitas, immo haec in illius locum ſucceſſerit, ſurrogatum vero natura eius, cui ſurrogatur, vix diſcrepare ſoleat: non videtur ſane dubitandum, quin comitiva illa aeque ac vicariatus adverſetur ſuperioritati territorii, ac proinde, eminentiore illo territorii iure in potentiſſimum Regem Sardiniae tranſlato, ſalva eſſe neutiquam poſſit feudorum Langharum poſſeſſoribus.

§. XXVIIII. Immo ἀσύστατα eſſe ſuperioritatis terrirorialis, & comitivae iſtius palatii iura, eo quoque argumento luculenter demonſtrari poſſe videtur, quod in tabulis, in quibus eius formula occurrit, plura enumerantur iura, ac regalia, a Comitibus Palatinis vice Caeſarum explicanda, quae videntur ad ſuperioritatem territorialem omnino pertinere, ab eaque ſeiungi, ſepararique commode non poſſe. Equidem in diplomate, quod Caſtrucio conceſſit Ludovicus Bavarus, huic factionis Caeſareae duci omnes honores, omniaque privilegia, ei dignitati adnexa, tribuuntur, at ſolum diſerte exprimitur *ius adſiſtendi perpetuo benedictioni, ſacrae unctioni, & coronationi ſucceſſorum ſuorum, Principum Romanorum*, &

(1) Marquardus Freherus *Originum Palatinar. Lib. II. Cap. I.* -- Idem *Not. ad* Petrum de Andlo *Lib. II. Cap. VI.* -- Leibnit. *Codic. iur. gent. diplomatic. n.* LXIIII. *p.* 128. -- Melchior. Goldaſtus *Conſtitut. imper. Tom. I. p.* 329.

Digitized by Google

& omnibus ipſius coronationis ſolemnitatibus, & praecipue ſociandi, & deducendi ipſos Romanos Principes tempore coronationis, fiendae de iis, ad ſacram unctionem de ipſis faciendam, & eoſdem Rom. Principes tenendi, & iuvandi in ipſa ſacra unctione, & actu ipſius, & eadem unctione perfecta eos reducendi, & ſociandi ad altare & thalamum, prout & quoties Principes expediunt redire, itemque ius tenendi, & levandi imperiale Diadema de Imperatorum capite, tempore, quo Romanae coronationis ſolemnia celebrantur, & etiam quocumque alio tempore, quoties publice ipſum diadema expedierit elevare. Quale ius, quod ex *praedicta Comitatus dignitate* Caſtrucio *competere*, ait Ludovicus Bavarus, etiam in Sigiſmundi inauguratione aliquis, cujus nomen, & dignitas non exprimitur (1); in Friderici V. Imperatoris coronatione Romana exercuit neſcio quis, qui comes palatii Lateranenſis & primicerius iudicum Romanorum vocatur ab eius aevi ſcriptore (2). Quamobrem ſi intra hos fines ſubſiſteret Palatii Comitum officium, illud ad honorem potius & dignitatem, quam ad poteſtatem pertinere videretur. At in reliquis, quae paſſim exſtant, Comitivae Palatinae formulis comitibus iſtis S. Palatii permulta alia iura, quorum quaedam ad iuriſdictionem referuntur, quaedam privatorum excedere ſortem videntur, ſolent attribui, veluti poteſtas creandi notarios, & tabelliones publicos, iudiceſque ordinarios, nothos & ſpurios legitimandi, famam reſtituendi, veniam aetatis concedendi, tutores curatoreſve dandi, ſuſpectoſve removendi, uniones pro-

(1) Everard. windeck *in Hiſtoria Sigiſm. Imp. Cap.* 189. *apud* Menckenium *Script. rer. Sax. Tom. I. p.* 1245.
(2) Petr. de Andlo *Lib. II. Cap. VI.*

Digitized by Google

prolium, adoptiones, adrogationes, emancipationes; manumiſſiones, contractus confirmandi, decreta interponendi, dignitates graduſque academicos, nec non lauream poëticam conferendi, armorum & inſignium honorem dandi, falſaſque teſſeras abolendi, milites, dato cingulo, creandi, & ſimilia (1). Haec vero pleraque quis partem eſſe neget ſuperioritatis iſtius, quà Principes & reliqui Imperii ordines gaudent in territoriis ſuis? Sane ſi quis eos iudices, tutores, curatores, dare, & ſuſpectos removere, veniam aetatis concedere, ſpurios & nothos legitimare, adoptiones, adrogationes, uniones prolium, emancipationes, manumiſſiones, contractus confirmare, famam reſtituere, decreta interponere poſſe, negaret: frontem periiſſe e rebus crederem (2). Quum ergo pleraque, quae comitibus S. Palatii tribuuntur, iura ita comparata ſint, ut ſuperioritatis territorialis luminibus manifeſto officere videantur: facile quis colligat, ea poſſeſſoribus feudorum Langharum non magis, quam vicariam poteſtatem, ſalva, atque illibata eſſe poſſe.

§. XXX. Accedit, quod Comitibus illis S. Palatii eae plerumque immunitates ab oneribus perſonalibus, realibus, ac mixtis indulgentur, quibus non poteſt non permultum decedere territorii iuribus,

(1) Spangenbergius *Chronic. Hennebergic. Lib. V. p.* 189. -- Ge. Schubartus *de Comitib. Palatin. p.* 230. *ſequ. p.* 329. *ſequ.* -- Carol. Du Freſne *Gloßar. med. & infimae Latinitatis, voce Comites Palatii Lateranenſis, Tom. I. p.* 1089. -- Lunig. *Cod. diplom. Ital. Tom. II. p.* 221. 458. 466. 520. 667. 1475. 2459. 2461. -- Io. Chriſt. Itter. *de gradib. acad. Cap. VI.* §. 27. *p.* 170. & §. 30. *p.* 175.

(2) Ant. Colerus *de iure Imperat. Germ. Concl.* XXXX. -- Io. Nic. Hertius *de ſuperiorit. territ.* §. XVI.

Digitized by Google

bus, immo & reliquis provincialibus, quibus illa pars onerum, comitibus S. Palatii detracta, accreſcere ſolet, multum negotii faceſſi. Immo ſatis conſtat, Electores Imperii ſibi atque Imperii ordinibus ab electis a ſe Imperatoribus ſtipulari ſolere, *ne provinciales ſubditoſque, dominis ſuis fidelitatis ac ſubiectionis lege ſive mediate ſive immediate obnoxios, a iuriſdictione, & ſuperioritate dominorum ſuorum eximere, vel iiſdem immunitatem a tributis, decimis, aliiſque oneribus ſive dominii directi, ſive ullo alio obtentu, concedere, neve cuiquam id permittere velint* (1). Id quod & moviſſe videtur quoſdam Imperii ordines, ut freti hoc iure ſuo, ſibi ipſis Imperii legibus conceſſo, talem immunitatem in provinciis ſuis denegent S. Palatii comitibus, eamque in aerarii ſui fraudem indulgeri neutiquam potuiſſe, contendant. Et exſtat ſane exemplum Reſponſi, a collegio iuridico Lipſienſi anno MDCXXXXVIIII. redditi, quo cuidam Chriſtiano Langio immunitatem in Saxonia, ob comitivam S. Palatii, competere poſſe, negatur (2). Quod vero vi ſuperioritatis territorialis licet ordinibus Imperii, quidni & potentiſſimo Sardiniae Regi liceat in iis terrarum tractibus, in quibus illi ab Imperatore, & Imperio ceſſa eſt ſuperioritas?

§. XXXI. Attamen non ineſt his argumentis tantum pondus, ut eorum cauſſa ſupprimendam eſſe illam Comitivae S. Palatii dignitatem exiſtimemus. Immo potius illam ſalvam eſſe oportere feudorum Lan-

(1) *Capitulatio* Ioſephi *Reg. Rom. Art. XI. & ibi Auctor Meditationum in hanc Capitulationem p. 78. ſequ.* -- *Capitulatio* Caroli VI. *Imp. Art. XV.*

(2) Benedictus Carpzovius *Deciſ. illuſtr. Saxon.* CCLXII.

Langharum possessoribus, non abs re ſtatui poſſe arbitramur, ea tamen lege, quam omnes iuris publici paullo peritiores agnoſcunt, ne illi S. Palatii Comites conceſſis ſibi iuribus, ac privilegiis in ſuperioritatis territorialis praeiudicium, ac deminutionem ullo modo utantur. Nam I. quia Auguſtiſſimus Imperator Principes, & Status Imperii in exercitio ſuperioritatis, & iuriſdictionis ſuae impedire non poteſt (1), etiam S. Palatii Comites, huiuſmodi actus, invitis dominis etiam, non poſſunt in eorum territoriis explicare (2). Idque & in ditionibus Italiae, Ducatu Sabaudiae, Mediolanenſi, & Montisferatenſi, dominio Veneto, & ceteris religioſe obſervari, teſtantur viri docti, & in his Georgius Schubartus, qui illam Principum curam adeo non improbat, ut hoc addat prudentiſſimum iudicium. *Hoc non imminuit magis ius Comitibus ab Imperatore datum, quam intercedit perverſo quorumdam uſui, inſignem iuriſdictionis, & gratiae particulam male habentium. Qui ſingula potentatus, territoriique iura ex ordine, & decoro cupit adminiſtrari, is neque hic alteri ſua re male utenti conſentit, ſed, ut per omnia recto incedatur tramite, diligenter curat* (3). II. Quaedam, quae ſibi adrogant Comites Palatini, ita comparata

h ſunt,

(1) *Capitulat.* Caroli VI. *Art. I.*
(2) Ahaſverus Fritſchius *Addition. ad* Limn. *Ius publ. Lib. II. Cap. VIIII. n.* 148. -- Hornius *Iur. publ. Cap. XXXXIIII. §. 6.* -- Gribner *de iure legitim. Princ. Imperii. §.* 27. & *de iure legit. Comit. palatinor. §.* 10.
(3) Georg. Schubart. *de Comit. Palatin. p.* 272. -- Ren. Choppinus *de doman. Franc. Lib. I. tit. X. p. III.* -- *Auctor Faecialis Europaei, Part. I. p.* 522. -- Ludovicus Rudolphinus *de origine, & dignit. Ducum Italiae, n.* 90. *ſequ.* -- Io. Limnaeus *Iur. publ. Lib. IIII. Cap. IIII. n.* 60.

Digitized by Google

ſunt, ut vel maxime interſit dominorum territorii, ea non ab aliis, quam a ſe, ſuiſque explicari, e. g. conceſſio veniae aetatis, decretorum ſuper alienationibus interpoſitio, adoptionum, adrogationum, legitimationum, unionum prolium confirmatio, quippe qui actus facile poſſunt, vel in ipſarum perſonarum, quarum cauſſa peraguntur, vel in aliorum ſubditorum, immo, & ipſorum Principum praeiudicium vergere. Haec ergo, ſimiliaque tantum abeſt, ut a Comitibus Palatinis explicari patiantur Principes, ut ſaepe illis id molientibus veluti novum opus nunciatum, & quod clam fortaſſe feciſſent, pro irrito habitum eſſe ſciamus. Sic ſane quum Comites quidam Palatini auſi eſſent in Electorali Saxonia adoleſcentibus quibuſdam opulentioribus aetatis veniam concedere: anno MDCLXXXV. reſcripſit Ioannes Georgius III. Elector, ſe exercitium iuris huiuſmodi regalis, cum ſuperioritate territoriali coniuncti nemini mortalium in provinciis ſuis concedere poſſe, ac proinde a minorennibus diplomata Comitum Palatinorum ſtatim repetenda, & curatoribus, ut munere ſuo non minus, quam antea, fungerentur, iniungendum eſſe (1). Et quamvis Principes Germaniae vi ſuperioritatis territorialis gradus academicos conferre non ſoleant: tamen, quia pleriſque ſunt Academiae, eo privilegio munitae ab Imperatoribus Auguſtiſſimis, ut ſingulae Facultates ſupremos illos honores bene meritis conferre poſſint: Comites Palatinos, Lipſiae, & Ienae Doctoratus inſignia conferre volentes, a Principibus prohibitos eſſe, novimus (2). Quamobrem paſſim exſtant Ele-

(1) Hornius *Iur. publ. Cap.* XXXXIIII. §. 11.
(2) Io. Sebaſt. Mullerus *Annal. Saxon. pag.* 546.

Digitized by Google

Electorum, & Principum edicta, quibus eos illam Comitum Palationorum facultatem arctiſſimis limitibus in provinciis ſuis circumſcribere animadvertimus. Quid! quod in Capitulatione Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli VI. ſibi & reliquis Imperii ordinibus ſtipulati ſunt Electores, *ut attentiſſime invigiletur abuſibus Palatinatuum, & iis abutentes acriter puniantur* (1). Denique III. ſunt quaedam Comitum Palatinorum iura, quae vel ad ſuperioritatem territorialem non pertinent, vel ab iis extra territorium Principum exercentur, quibuſque Comites Palatinos intervenire ideo cupiunt homines, ut effectum ſuum ubique per Imperium ſortiantur: & horum iurium exercitium illis vix denegari poſſe arbitramur. Quibus poſitis, Comitibus Palatinis, & dignitatem ſuam, & iurium ſuorum, quae vel ſuperioritatem territorialem non attingunt, vel illi extra provinciam, vel intra hanc quidem, ſed conſentiente domino territorii, exercent, ſalvum merito eſſe debere exercitium, ſtatuimus.

§. XXXII. Sane enim illa dignitas, his circumſcripta limitibus, adeo nihil commune habet cum ſuperioritate territoriali, ut eam integram, & illibatam habeant Principes, ſi vel maxime quoſdam eius generis actus explicare liceat S. Palatii Comitibus. Vicariorum alia eſt ratio, quorum poteſtatem in iure dicundo, mero imperio, recipiendis adpellationibus, aliiſque iuribus, a ſuperioritate territoriali inſeparabilibus, conſiſtere vidimus. Horum vero nihil conceditur Comitibus S. Palatii, ſed primum illi ea potiſſimum iura explicant; quae Imperatoribus, & Regibus Romanorum reſervata ſunt,

 ac

(1) *Capitulat.* Caroli VI. *Imp. Art.* XXII.

Digitized by Google

ac proinde ab ipſis Principibus vel numquam, vel raro, in territoriis ſuis exercentur. Sic ſane inter omnes conſtat, ſolos Imperatores iam inde ab antiquiſſimis uſque temporibus creaſſe Notarios, publicoſve tabelliones, eo effectu, ut eorum inſtrumentis ubique per imperium fides haberetur (1), idque ſolemmiter per calami, & calamarii traditionem factum eſſe (2). Non mirum itaque, Imperatores, ne deſit eorum hominum copia, eos creandi poteſtatem dare Palatii ſui Comitibus, nec eo ipſo ſibi quidquam agere videri adverſus iura, & privilegia Principum, & Statuum. Sic quum numquam fere Princeps iuri, ac poteſtati ſuae ideo quidquam decedere exiſtimet, ſi poëtis dare non poſſit lauream, Imperatores vero hoc ius iam a tempore Fridrici V. Imperatoris, quem Conradi Celtae, & Aeneae Sylvii ingeniis hunc honorem habuiſſe, nemo ignorat (3), ſoli exercuerint: nulla ſubeſt ratio, cur eam facultatem Comitibus S. Palatii conceſſam ab Imperatoribus Principibus gravem eſſe exiſtimemus. Quod ad legitimationem, famaeque reſtitutionem attinet, dubitari quidem non poteſt, quin ea iura Principi in territorio ſuo aeque, ac Imperatori in Imperio, competant: neque Auguſtiſſimus Imperator concedendo comitivam, cuiquam Principum huiuſmodi iura dubia

(1) Petr. de Vineis *Lib. VI. Epiſt.* XXXII. -- Mart. Magerus a Schoenberg *de advoc. arm. Cap. XVII. n.* 233. *ſequ. p.* 769.

(2) Carolus Du Freſne *Gloſſar. Latin. Tom. I. p.* 1089. -- Georg. Schubart. *de Comit. Palat. p.* 260.

(3) Goldaſt. *Conſtitut. Tom. III. p.* 482. -- Aeneas Sylvius *Epiſt.* CCCII.

Digitized by Google

bia reddere voluerit (1). At ſaepe tamen intereſt ſpuriorum, & nothorum, ut eluta illa natalium macula παλιγγενεσία iſta, non ſolum in Principis cuiuſdam territorio, ſed ubique per Imperium rata ſit, nec non eorum, quibus infamiae nota inuſta eſt, ut non modo in Principis, famam reſtituentis, territorio, ſed & in univerſo Imperio ſua illis conſtet exiſtimatio. Id vero quum aliter vix fieri poſſit, quam ſi ab Imperatore eo beneficio ornetur (2). Neque publici ſaporis adhuc ſit ſingularis, ac paene paradoxa eorum, qui a Principibus factam legitimationem, famaeque reſtitutionem ubique terrarum effectum ſuum ſortiri ſtatuunt ſententia; a Gribnero in primis acrius, quam ſolidius, defenſa: ex hac quoque conſultiſſima ratione non deneganda Comitibus Palatinis videtur legitimandi, famamque reſtituendi facultas. Quibus poſitis, conſequi omnino videtur, ut, quum praecipua Comitum Palatinorum iura ſuperioritati Principum non officiant, reliqua vero illis ſine eorum conſenſu in territoriis Principum explicare non liceat, nulla quoque ſit ratio, cur plane ſupprimenda videatur Comitiva S. Palatii, ſimul ac Principi in certo terrarum tractu conceditur ſuperioritas.

§. XXXIII. Deinde in quaeſtionibus ſuper huiuſmodi iuribus res praecipue redire ſolet ad con-

ſue-

(1) Limnaeus *Iur. publ. Lib. V. Cap. II.* -- Thulemar. *de Octoviratu Cap. VIII. §. 3.* -- Mich. Henr. Gribn. *de iure legit. Princ. Imp. Sect. I. §. VIIII. ſequ. Tom. I. Selector. Opuſc. p. 13. ſequ. & de iure Princ. Imp. reſtituendi famam §. III. p. 80. ſequ.*

(2) Sam. Strykius in *Uſu Digeſt. tit. de his, qui ſunt ſui vel al. iur. §. XIIII.* -- Caſp. Henr. Horn. *Iur. publ. Cap. XXXXVI. §. 12. & §. 13.*

ſuetudinem, & obſervantiam, quam vocant, Imperii, memoria magis & uſu, quam ſcriptis legibus propagatam: quippe cuius ea vis, ac poteſtas eſt, ut pro lege ſit; & in cauſſis ambiguis definiendis, expediendiſque pro norma habeatur (1). In illa vero Imperii obſervantia ius illud Imperatorum certa iura etiam in Statuum provinciis per Comites Palatinos explicandi tam firmum reperit praeſidium, ut vix iuſtior ulla minuſque interrupta oſtendi poſſe videatur poſſeſſio. Quod enim ad Germaniam attinet, iam inde a ſaeculo XIIII. Imperatores Comites Palatinos cum ampliſſima facultate creaturt tum viros principes, & illuſtres, tum plebeios, ingenii, ac doctrinae laudibus eximios: neque umquam iis, intra officii ſui limites ſeſe continentibus mota eſt ſtatus controverſia. Quin quum Principes, & Status Imperii Germanici, iurium ſuorum pro eo, ac decet, ſint ſervantiſſimi, &, ſi vel ullam eorum deminutionem vereantur, nihil faciunt reliqui, ut iis per publicas Imperii leges veluti præſidium circumponatur: eos tamen umquam dediſſe operam, ut Comitiva S. Palatii Lateranenſis in Germania plane ſuppримeretur, non conſtat; quamvis illis extra orbitam vagantibus fraena & ab Imperio, & ab ipſis Principibus iniecta eſſe, ſatis meminerim. Immo tantum abeſt, ut Imperii ordines ferre non poſſint hanc Comitivam, ut eam, ſibi ab Imperatoribus oblatam, ipſi ſuſcipere non dubitarint, veluti olim Comites Hennebergici, & Fridricus I. Saxoniae Ele-

(1) *Conſtitutio Pacis publ. anni* 1495. *tit.* X. -- Io. Georg. Kulpiſius *de obſervant. Imperial.* §. X.

Elector (1), & hodie Principes Schwarzburgici, Comites Ortenburgici, & alii. Nec magis in Italia de iure illo Caeſarum Comites Palatinos etiam in Principum territoriis creandi, per eoſque iura reſervata explicandi umquam dubitatum eſt, maxime quum in Italia multo antiquior ſit ea Caeſarum poſſeſſio, & ibi iam ſub Fridrico I. Imp. immo multo ante, Comites Palatini iura quaedam eorum vice explicaſſe dicantur (2). Certe Henrici IIII. & Gregorii VII. temporibus in ipſa Urbe potentia eminuiſſe conſtat *Gregorium de Alberico, Lateranenſem, & Tuſculanenſem Comitem*, non Conſulem Romanum, quod viſum eſt reverendiſſimo Caſinenſium Abbati, Angelo de Nuce, ſed Comitem S. Palatii Lateranenſis, cui facultatem iura ſibi reſervata Romae explicandi dederat Imperator (3). Et iam antea vidimus, in Ducatibus Mediolanenſi, Montisferratenſi, aliiſque Italiae Principatibus, quin & ipſo Venetorum dominio ſemper locum fuiſſe his Comitibus, dum non ſine ſuperiorum conſenſu officii ſui partes peragerent. Quum ergo indubia ſit Auguſtiſſimorum Imperatorum poſſeſſio, & ius certiſſimum, Comites S. Palatii cum in Germania, tum & in Italia, non modo in civitatibus immediatis, ſed etiam in Principum, ac Statuum immediatorum provinciis creandi, per eoſque iura quaedam reſervata, citra territorialium dominorum prae-

(1) Cyr. Spangenb. *Chron. Henneb. Lib. V. p.* 189. -- Marqu. Freher. *Orig. Palat. Lib. I. Cap. XVI. -- Electa. iur. publ. Tom. IIII. p.* 329.

(2) Thom. Reineſ. *de Palatio Lateranenſi, eiuſque Comitibus p.* 26.

(3) Petr. Diaconus *in Chronico Caſin. Lib. II. Cap. CI. p.* 314. *edit. Angeli de Nuce.*

Digitized by Google

praeiudicium explicandi : ſane in ipſius Imperatoris Auguſtiſſimi praeiudicium redundare quodammodo videretur illa privilegiorum familiis quibuſdam conceſſorum abolitio , ac proinde privilegia illa poſſeſſoribus, dumne hi extra oleas vagentur, (S. XXXI.) illibata , ac ſalva eſſe debere , merito arbitramur.

§. XXXIIII. Argumentis , quae ſupra in contrarium adduximus , facile ſatisfieri poſſe exiſtimo. Neque enim , quae de Comitum iſtorum origine in mentem venerunt viris doctiſſimis , uſquequaque vera , & quae de eorum officio , vicariatibus ſurrogato , ſpecioſe diſſerunt , falſiſſima ſunt . 1) Hoſpites profecto illos eſſe dixerim in veteris aevi annalibus , qui ante Ludovici Bavari Imperatoris tempora ullam Comitum S. Palatii Lateranenſis mentionem fieri negant in Italorum monumentis . Ut enim iam non dicam de *Gregorio de Alberico* , *Comite Lateranenſi* , cuius paullo ante meminimus : (S. XXXIII.) neque hic repetamus conjecturam Thomae Reineſii, *Iuſtitiarios* illos, quos Fridricum I. Imp. everſa Mediolano , civitatibus praefeciſſe refert Conradus de Lichtenau , Abbas Uſpergenſis in *Chronico p.* 305. pro Comitibus S. Palatii accipientis (1): certiſſimum ſaltim eſt, iam ante Ludovicum Bavarum ſub Henrico VII. Imperatore in Italia fuiſſe , quibus haec Comitiva collata fuerat . Teſtis eſt *Nicolaus* , Epiſcopus Botrotinenſis , qui in *Hodoeporico* ſuo diſerte ſcribit (2) : *Poſtea ivimus cum eo ad alium locum*, *ubi*

(1) Thom. Reineſ. *de Palatio Lateran. eiuſque Comitibus p.* 47. *ſequ.*

(2) Nicolaus *Epiſcopus Botrotinenſis Relat. de Henrici VII. Caeſar. Itinere Italico Cap. LXVI. apud* Reuber. *Script. rer. Germ. p.* 812. *edit. nov.* Georgii Chriſt. Ioannis.

Digitized by Google

ubi ad nos venerunt duo fratres dicti Comitis, Tegrini, videlicet Comes Tancredus, & Comes Bandinus. Poſtea invenimus quartum fratrem, Comitem Rogerium. Iſti omnes dicuntur de Comitibus Guidonibus, & ſunt Comites Palatini, *& eiuſdem domus ſunt Comes de Bateſole, & Comes Salvaticus. Item Comites de Romania omnes vocant ſe* Comites Palatinos, *& magnos reditus habent in Romandiola.* Quare utut hanc dignitatem forte reſtituerit, ac veluti in lucem revocarit Ludovicus Bavarus: ſaltim eamdem non invenit primus, nec ille, ſi id verum eſſet, ſcribere potuiſſet in diplomate, Caſtrucio conceſſo, *ſe illi dare, & concedere, ac tribuere omnes & ſingulos honores, & omnia, & ſingula privilegia, & emolumenta, quos & quae Comites praedicti ſacri Palatii* habeant, & habuerint quoquo tempore, *de tempore, de* conſuetudine, *vel de iure.* Quae enim conſuetudo fingi poſſet circa rem adhuc inuſitatam, & nunc primum inventam? Deinde II. non magis verum eſt, nominis tantum ſono differre Comites Palatii, & Vicarios, quin illos a Ludovici Bavari temporibus in horum locum ſucceſſiſſe. Primo enim Caſtrucius ille, cuius iam ſaepe mentionem fecimus, quum iam Vicariatus poteſtatem haberet, nihilominus inſuper hanc comitivam S. Palatii accepit. Deinde & ipſum Ludovicum, & eius ſucceſſores, multo poſt illa tempora Vicarios cum ampliſſima poteſtate miſerunt in Italiam, id ſane non facturi, ſi vicaria illa poteſtas novam veluti induiſſet faciem, & in comitivae S. Palatii nomen, & officium tranſiiſſet. Praeterea res ipſa docet, diverſiſſimas fuiſſe partes Vicariorum, & iſtorum Comitum, diverſiſſimaque munia. Vicarii cum poteſtate praeerant certae vel civitati, vel pro-

 vinciae:

Digitized by Google

vinciae: Comites Palatini nec cum poteſtate erant, nec in certis locis, ſed ubique iura ſua nomine Caeſarum explicabant. Illis, & omnimoda iuriſdictio, & mixtum Imperium, immo, & aliquando ius armorum competebat; his tantum quaedam iura Caeſaribus reſervata, & quoſdam voluntariae iuriſdictionis actus exercere licebat. Illi Procuratoribus Caeſarum, Profectiſque Auguſtalibus quodammodo erant ſimiles: hi iis Magiſtratibus, quibus, ubicumque reperirentur, data erat legis actio, veluti Proconſulibus, qui verbe egreſſi, ubicumque eſſent, & proconſularia inſignia, & iuriſdictionem voluntariam, vel legis actionem, habebant (1). Quare tantum abeſt, ut eamdem Vicariorum, & Comitum S. Palatii rationem eſſe fateamur, ut potius inde, quod diverſiſſimae naturae ſint, ſemperque fuerint, colligere non dubitemus, illorum poteſtatem, ceſſa potentiſſimo Sardiniarum Regi ſuperioritate, ceſſare, his iura ſua ſalva, ac illibata eſſe oportere.

§. XXXV. Sed & altera, quae Comitivae iſti obſtare videtur, ratio ſua ſponte corruit, ſi, quae adhuc dicta ſunt, paullo accuratius conſiderentur. Pleraque enim iura, quae per S. Palatii Comites explicantur, nihil admodum commune habere cum territorii iuribus, iam ſupra oſtendimus. (§. XXXII.) Praeterea vidimus, ſi iuſto plus ſibi adrogare videantur illi Comites Palatii, ex ipſis Imperii legibus, & *Capitulatione* praeſertim *Carolina Art. XXII.* non deeſſe Principibus facultatem eos cogendi in ordinem, vel ſaltim eos eo adigendi, ne officium ſuum, ſe inconſultis, atque invitis, cuiquam, intra territoriorum

(1) L. 1. *L. 2. D. de officio proconſ. & legat.* — Plinius *Lib. VII. Epiſt. XVI.*

Digitized by Google

riorum ſuorum fines commodare audeant. (§. XXXI.) Denique quemadmodum rerum omnium quaedam viciſſitudo eſt, ita nonnulla, quae peti olim ab illis Comitibus, & non ſine quodam rituum adparatu conferri ſolebant, ita paulatim eviluerunt, ut ea ſibi hodie fere nemo conferri velit. Saltim in Germania nemo temere a Comitibus S. Palatii petet Doctoris, Licentiati, Magiſtri inſignia, quia id facientibus, vel ſtatus controverſia movetur a reliquis eius ordinis hominibus, qui honoribus iſtis in Academiis more maiorum potiti ſunt, vel certe non multum honoris a vulgo habetur, tamquam clam, & per codicillos dumtaxat ornamenta iſta conſequutis. Nec maioris in Italia fieri Doctores Codicillares, vel ex eo colligo, quod iam ſaeculo XV. ſcripſit Aeneas Sylvius (1): *Quodſi milites, exercitati bellis, mei animi eſſent: peterent & ipſi* Doctoratus *honorem. Quippe non minus iſti leges, quam illi arma noverunt. Sed neque* Doctoratus *ipſe ſincerus eſt, indoctos quamplures Doctores novimus, multoſque Caeſar in Italia promovit, quibus aurum pro ſcientia fuit.* Nec laureae poëtarum tanta noſtro aevo praeſtantia eſt, ut quiſquam virorum doctorum in hoc muſtaceo quaerere velit laureolam, quum, qui ſibi ingenii, ac doctrinae ubertate doctiſſimorum poëtarum laudem pepererunt, & ſine iſtis corollis per ora hominum volitent, dum

Hos doctarum hederae praemia frontium
Dis miſcent ſuperis:

aridioris vero venae vatibus hae phalerae dedecori magis eſſe ſoleant, quam ornamento. Quae quum

 ita

(1) Aen. Sylv. *Hiſtoria Fridrici III. Imp.* p. 81.

Digitized by Google

ita ſint, Comitum S. Palatii non tam negotioſum eſſe officium, ut ſuperioritatis territorialis iuribus per illud adeo multum decedere poſſit, facile intelligitur, ac proinde, cur iſtud ſalvum, atque integrum eſſe non poſſit poſſeſſoribus, cauſam me quidem non videre idoneam, ingenue fateor.

§. XXXVI. Deinde ne poſtremo quidem argumento, quod Comitivam iſtam S. Palatii premere videtur, me a ſuperiore ſententia dimoveri fateor. Nam ne ii quidem, qui alioquin ſatis magnifice de ea dignitate ſentiunt, viros tamen tam graves, qui hanc immunitatem virtute meruerint, ſperant *probe ſcire, ſe reipublicae honori, non oneri datos eſſe, & hinc eos vix praeſtare recuſaturos, quae publicae ſine neceſſitatis: neque enim hoc voluiſſe Imperatorem immunitatis conceſſione, ut ſua munificentia damno foret ulli* (1). Et ſane illis immunitatis privilegiis in Germania non frui Comites S. Palatii, iam ſupra eſt probatum. Deinde expeditiſſimi iuris eſt, immunitatis privilegia proferri non poſſe ad onera propter neceſſitatem impoſita, & de quibus dati privilegii temporibus non fuit cogitatum (2). Si ergo fingamus, illa immunitate gaviſos eſſe Comites S. Palatii, quamdiu immediate ſubfuerint Imperatori, ii ſane eadem frui non poſſent, feudis ſuperioritati Principis cuiuſdam ſubiectis, quia tunc iure ſuperioritatis exiguntur onera, de quibus eo tempore, quum id privilegium indulgeretur, nemo mortalium cogitaſſet. Denique ſi vel maxime immunitate illa iure opti-

(1) Georg. Schubart. *de Comitib. Palatin. p.* 320.
(2) Dynus, Baldus, Salicetus, Iaſon. *in l.* 8. *pr. D. de leg.* 1. Ludolph. Schraderus *tract. de feud. Pars. X. ſect. I. n.* 130. Acacius ab Enenkel *de privileg. Lib. II. Cap. V. n.* 75. *ſeq.*

Digitized by Google

optimo maximo fruerentur S. Palatii Comites : id tamen non officeret reliquis ſuperioritatis iuribus, adeoque ea non impediret, quo minus iis ſalva, ac illibata eſſe poſſet illa dignitas.

II. DE PRIVILEGIIS RELIQUIS QUAE FEUDORUM LANGHARUM POSSESSORIBUS EXPRESSE SUNT CONCESSA.

§. XXXVII. Quae hactenus diſſeruimus, ad ea iura, quae ſibi feudorum Langharum poſſeſſores ob Vicariatus, & Comitivae S. Palatii Lateranenſis dignitatem vindicant, pertinent. Proximum eſt, ut de reliquis, quae ſibi competere aiunt, privilegiis, iuribuſque per ea expreſſe conceſſis dicamus ſententiam. Ea vero I. in iure auri, argenti, aeris flandi, feriundique, ſeu nummos, ubique per Imperium valituros, cudendi; II. in exemptione a iuriſdictione, & imperio; III. in immunitate ab omnibus oneribus: denique IIII. in honore quodam inuſitato, in Caeſaris palatio his poſſeſſoribus habendo, conſiſtere, animadvertimus. Haec ergo privilegia an, ſuperioritate iſta Langharum potentiſſimo Sardiniae Regi ceſſa, ſalva, atque illibata eſſe oporteat, iam paucis erit diſpiciendum.

§. XXXVIII. Et quidem I. quod ad ius aurum, argentum, atque aes ſignandi attinet, dubitare nefas videtur, quin illud ad iura maieſtatis, adeoque & ad analogam illi ſuperioritatem territorialem ſit referendum. Nam 1) quum Principi ea omnia conceſſa ſint, quae ad tuendam reipublicae ſalutem, tranquillitatemque pertinent, ad eam vero id, vel

ma-

maxime pertineat, ut inter cives iuſtus, & uniformis nummi valor obſervetur: fieri profecto non potuit, quin ius ſignandi aurum, argentumve maieſtati adſcriberetur, aliiſque, praeter ſummos Imperantes, omnibus adimeretur illa poteſtas (1). Deinde 2.) recte obſervavit Paullus iureconſultus, ideo inventum eſſe nummum, *ut eius* publica, *& perpetua* aeſtimatio *difficultati permutationum aequalitate quantitatis ſubveniret, & hinc materiam illam forma* publica *percuſſam eſſe* (2). Quae vero publica auctoritate fieri oportet, ea quis a ſummo imperante conſtitui debere, neget? maxime quum ea in re commercii, omniſque civitatis ratio ſumma vertatur, & vel haec unica ratio ſufficiat, ut illud ius nulli, praeter ſummam poteſtatem, committendum eſſe ſtatuamus (3). Atque hinc 3.) eſt, quod id ius vere regale tanti ſemper viſum eſt Principibus, & Civitatibus, quibus iurium ſuorum paullo ſanctior fuit cuſtodia, ut ſoli id exercere vellent, graviſſimumque ſupplicium iis omnibus, qui illud adfectarent, interminarentur. Ita ſane Romani, libera adhuc republica, lege Cornelia; ita inter eorum Principes Conſtantinus M. Theodoſius, & Arcadius; inter Francorum Reges Carolus M.; inter Langobardorum Rotharis; ſanxerunt, eorumque Leges, & conſtitutiones, quae & hodie exſtant, argumento ſunt luculentiſſimo, nullius fere iuris, quam huius uſum illos

(1) Caſpar Zieglerus *de iuribus maieſtat. Lib. I. Cap. XLIX.* §. 7.

(2) *L. 1. D. de contrah. emt.*

(3) Ulr. Huberus *de iure civit. Lib. I. Sect. III. Cap. VII.* §. 39.

Digitized by Google

illos aegrius cum ullo mortalium communicaſſe (1). Denique 4) non deſunt, qui ita comparatum eſſe hoc ius exiſtimant, ut ſi id vel maxime ab aliquo, praeter univerſitatem, vel conceſſione, ac beneficio ſummi Imperantis, vel praeſcriptione ſit adquibtum, numquam tamen iuſtam, ac ſtabilem penes privatos eſſe eius poſſeſſionem, arbitrentur (2). Ex quibus omnibus conſequi quis dixerit, ut id ius privilegio quaeſitum ſalvum eſſe nequeat feudorum Langharum poſſeſſoribus, illudque intra eum terrarum tractum, praeter Regem Sardiniae potentiſſimum, competere poſſit nemmi, ex quo eorum feudorum ſuperioritas ab Auguſtiſſimo Imperatore, & Imperio in illum ſit tranſlata.

§. XXXVIIII. Contra fori privilegium, vel ideo ſalvum eſſe debere poſseſsoribus videtur, quod I. nec illud refragetur ſuperioritati territoriali. Quemadmodum enim in ipſo Imperio aliquis Status, & exemtus tamen eſse poteſt ab omni iuriſdictione iudiciorum ſupremorum imperii, quod de Archiducibus Auſtriae fertur, de Rege Boemiae, & Duce Burgundiae certo conſtat (3): ita ſubditus aliquis, ſalva

(1) Aſconius Paedian. *ad* Ciceron. *Orat. I. in Verrem Cap. XXXXII. -- L. 2. C. de falſ. monet. -- L. fin. C. eod. -- Capitularia Caroli M. Lib. III. Cap. XIII. apud* Steph. Baluzium *Tom. I. p.* 756. -- *Lex Langobard. Lib. I. tit. XXVIII.* §. 1.

(2) *Ita poſt* Bartolum, Baldum, Angelum, Bocerius *de regalibus, Cap. II. n. CCXXVII.*

(3) Fridr. Ludov. *Nob. Dom. de* Berger *Animadv. ad* Cocceii *Iur. publ. prud. Cap.* XXX. §. 12. *p.* 431. -- Io. Iac. Maſcov. *Diſſ. de nexu regni Burgund. cum Imp. Germ. Cap. II.* §. 9. Io. Nic. Hert. *de Regni Bohemiae nexu cum Imp. Germ. Sect. IIII.* §. *III. p.* 548.

Digitized by Google

ſalva ſuperioritate territoriali, eo gaudere poſse videtur privilegio, ut non niſi ad ſuprema Imperii tribunalia poſſit evocari? Deinde II. expediti iuris eſt, non plus iuris in ceſſionarium umquam tranſire, quam cedenti antea fuerit (1): ſiquidem ceſſionarius in cedentis locum ſuccedit, ac proinde, & eiuſdem iure utitur (2). Quum ergo ne Auguſtiſſimus quidem Imperator privilegium fori poſseſsoribus feudorum ob bene merita conceſsum, ſine iuſta, ac ſontica cauſa adimere vel potuit, vel voluit: multo minus profecto id ius eſse videbitur potentiſſimo ceſſionario, cui terrae Langharum, in ea cauſa, in qua adhuc fuerunt, ceſsae videntur, id eſt, ut ſalva cuique poſseſsori ſint privilegia.

§. XXXX. Alia plane ratio videri poſſit eſſe privilegii immunitatis, quod ſibi quidam feudorum iſtorum poſſeſſores vindicant, partim 1.) quod huiuſmodi privilegia, quia reliquos cives, & ſubditos tanto maiore onere premunt, in ſe odioſa atque iniqua ſint (3): partim 2.) quod naturae ſubiectionis manifeſto adverſentur, quippe cuius ea eſt indoles, ut cives omnes, tamquam una perſona moralis, non modo voluntates, ſed & vires ſuas ad communem rei publicae finem perfecte uniant (4): quod ſane fieri non poteſt, ſi qui civium, freti privilegiis, onera, quae ipſa rei publicae ſalus imperat, ſubire de-

(1) Socin. *Conſil. LXXXXXVII. n.* 60. *Vol. II.* -- Vultei. *inter Conſil. Marpurg. Conſ.* XXII. *n.* 115. *Vol. III.*

(2) *L.* 5. *C. de hered. & act. vend.* -- weſenbec. *Conſil. II. n.* 55. *Vol. I.*

(3) Klockius *de contribut. Cap. XVI. ſect. I. n.* 4. *ſequ. & n.* 45. *ſequ.* -- Caſp. Ziegler. *de iur. maieſt. Lib. II. Cap. II.* §. 43. *p.* 901.

(4) Pufendorff. *de iur. nat. & gent. Lib. VII. Cap. II.* §. 5.

detrectent : partim 3.) quod & feudorum natura ordinarie non patitur vaſallos immunes eſſe a ſervitiis , maxime quum procul dubio ideo initio dari coeperint , ut vaſalli militarent dominis , & ſtipendia , quoties id e re dominorum eſſet , praeſtarent (1). Quum ergo ea , quam quidam vaſalli in feudis Langharum iactant , immunitas vere efficeret , ut nec cives rei publicae , nec ſubditi , nec vaſalli potentiſſimi Sardiniae Regis dici poſſent : conſequi omnino videtur , ut tam odioſum , atque iniquum privilegium ſalvum eſſe non poſſit Langharum poſſeſſoribus.

§. XXXXI. Denique quod ad ſingularem illum honorem , quem in curia Caeſarea Fliſcorum genti habitum iri , Guillelmus Rex Rom. anno MCCXXXXVIII. promiſit , attinet , illum ſalvum eſſe debere ſucceſſoribus , ac proinde hos eamdam praerogativam in aula potentiſſimi Sardiniae Regis ſperare poſſe , ex eo colligi poſſe videtur , quod , uti iam ſupra monuimus , & cedentis iure utitur ceſſionarius , adeoque ad idem , ad quod antea cedens obſtrictus eſt : & dominium directum aeque , ac aliae res , cum onere ſuo ad poſſeſſores quoſcumque tranſit (2). His vero poſitis , non ſine aequitatis ſpecie exigere , ac iure quodam ſuo poſtulare videntur poſſeſſores feudorum Langharum , ut ſibi ſalvum ſit , tam inſigne , ac prope

(1) *II. Feud. 23. in fin. 55. §. firmiter.* -- Paull. Hachenbergius *German. med. diſſert. VIII. §. 3.* -- Speelmann. *Gloſſar. voce Capitaneus p. 140. & voce feudum p. 256.* -- Rhetius *Comment. in ius feud. Lib. I. tit. I. n. 26. p. 45. ſequ.*

(2) *Cap. 5. X. de pignoribus.* -- Menoch. *Conſil. II. n. 31. Conſil. LI. n. 11.* -- *Cardin.* Tuſch. *Pract. Concluſ. Tom. V. litt. O. concluſ. 145.* -- *Stephan. Gratian. Diſcept. forenſ. Tom. IIII. Cap. 705. n. 11.*

inuſitatum gentis ſuae decus, cuius amiſſio nullis paene opibus penſari poſſe, nemo non animadvertit.

§. XXXXII. Nihilominus tamen ius aureas, argenteas, aeneaſque monetas percutiendi ſalvum eſſe debere poſſeſſoribus Langharum arbitror. Nam I. id non eſt pars ſuperioritatis territorialis, ſed Ordinibus Imperii ex privilegio, quale veteres Reges, atque Imperatores permultis Epiſcopis, Praelatis, Principibus, Comitibus, civitatibus conceſſerunt, competit (1). Idque vel ex eo intelligitur, II. quod nec ſoli Principes, & Imperii ordines, nec omnes, eo iure utuntur, ſed ii ſive mediati, ſive immediati, quibus ea facultas a Regibus, vel Imperatoribus data eſt. Non ſolis id ius competere, teſtes ſunt tot civitates municipales, quae vel olim eo iure uſae ſunt, vel eodem adhuc utuntur, veluti Huxaria, Halberſtadium, Hanovera, Minda, Oſnabruga, Gottinga, Northemium, Stetinum, Roſtochium, & aliae (2), neque omnes ad noſtra uſque tempora eo iure uti, & leges Imperii, & qui de Imperii iuribus

(1) *Huc pertinent diploma Dagobertinum apud* Chriſtophorum Lehmannum *Chron. Spir. Lib. III. Cap. XII. quod tamen pro ſuppoſititio habent* Arnoldus Buchelius *in Notis ad Hedam. de Episc. Ultraiectin. p.* 17. Pfeffinger. *in Vitriario illuſtrato, Lib. I. tit. XV.* §. 5. *p.* 1117. *&* Henr. *de* Bunau *de iure circa rem monitariam, Cap. II.* §. 26. *ſequ.* Ludovici Pii *apud* Mabilon. *de re diplom. Lib. III. Cap. I.* §. *6.* Ottonis I. *Imp. apud* Aubert. Miraeum *Notitiae Eccleſ. Belg. Cap. LVI. & alia eiuſdem generis, quae incredibili induſtria collegit illuſtris* Henr. de Bunau *ibidem* §. 31. *ſequ. p.* 48. *ſequ.*

(2) Arniſaeus *de iure maieſt. Lib. II. Cap. VII. n. 6.* — Chriſtianus Schlegelius *de nummis Iſenacenſ. weiſeuſeenſium, Gothanorum, Salſendenſium, cet.* -- *Illuſtr.* Henr. de Bunau *de iure circa rem monetariam, Cap. II.* §. *46. p. 69.*

ribus ſcripſerunt auctores, veluti ex compacto teſtantur [1]. Si ergo ſuperioritatis pars non eſt illud ius cudendi nummos: neque dubitari etiam poteſt, III. quin illud ſtatus etiam mediati, ex privilegio beneficioque vel Caeſaris, vel Principum ſuorum, recte exerceant. Et exſtant ſane tabulae publicae, non modo quibus Imperatores civitatibus quibuſdam mediatis, veluti Uratislaviae, Erfurto, Luneburgo, Magdeburgo, hanc facultatem pecuniam ſignandi dederunt [2], ſed & quibus ipſi principes, quibus ea facultas erat, per privilegium cum vaſallis, & civitatibus ſuis hoc ius communicarunt. Ita Thuringiae Landgravii civitates ſuas; Metenſes Epiſcopi Spinalium caſtrum; Archiepiſcopi Moguntini monaſterium Burſfeldenſe; Epiſcopi Paderbornenſes dynaſtas Buranos; Marchiones Miſniae Lipſiam urbem eo privilegio ornaſſe leguntur, & facile recenſeri a nobis poſſent eiuſdem generis diplomata innumera, ſi haec ipſa non viderentur ſufficere ad rem probandam [3]. Si vero non modo Imperatores, ſed & ipſi Principes, qui ſuperioritate territoriali

 emi-

(1) *Ordinatio monetaria anni MDLVIIII.* §. 178. -- Gabriel Schweder. *Introd. in ius publ. Part. ſpecial. ſect. I. Cap. XXII.* §. 2. *p.* 440. -- Nic. Mylerus ab Ehrenbach *de Stat. Imp. Cap. LXXI.* -- Henr. *de* Coccei. *Iuris publ. prud. Cap.* XXIII. *ſect. I.* §. 23.

(2) Lunig. *Archiv. Imp. part. ſpecial. Tom. X. p.* 244. *ſequ. p.* 445. 648. 661.

(3) Franc. Chriſtianus Paullini *Annal. Iſenac. ad annum MCCCCVII. p.* 108. -- *Vita Theodorici Epiſc. Met. Cap. XII. apud* Leibnit. *Script. rer. Brunſuic. Tom. I. p.* 300. -- Nic. Schaten. *Anal. Paderborn. Lib. VII. p.* 636. -- Idem *Lib. VIIII. ad ann. MCLXXXXV.* -- Lunig. *Archiv. Imperii, Part. ſpec. Tom. X. p.* 592.

eminebant, vaſallis ſuis, & civitatibus mediatis, id ius ultro ſaepiſſime conceſſerunt: quis illud ex conſuetudine Imperii, ſalva Principum ſuperioritate, etiam a ſtatibus mediatis explicari poſſe, neget? Quare IIII. iis, quae ſupra in contrarium attulimus, argumentis facile ſatisfieri poſſe arbitramur. Primo enim non ſequitur, ut, quod ex iuris gentium principiis inter maieſtatis, & ſuperioritatis iura eſt, id communicari non poſſit cum aliis. Immo potius, quod proprium eſt, vel ſummis Imperantibus, vel territoriorum dominis, id eos cum aliis communicare poſſe, nemo dubitaverit. Saltim quod ad ius cudendi nummos attinet, invaluiſſe conſuetudinem, ut etiam ad inferiores dominos ius illud transferri poſſit, omnium fere gentium cultiorum iureconſulti fatentur (1). Deinde non magis ſequitur, ut, quod publicum eſt, id non poſſit ab aliis, quam a ſumma poteſtate explicari, quum ipſa iudicia publica, non a ſolo Principe, ſed & a *landſaſſiis*, quos vocant, id eſt, a dynaſtis, & civitatibus ei ſubiectionis lege obſtrictis, qui quaeve imperium merum, ſeu iuriſdictionem criminalem, vel per inveſtituram, vel per privilegium acceperunt quotidie exerceantur. Praeterea uti recte omnino, & ordine fecerunt Principes, qui non paſſi ſunt, tam nobile ius maieſtatis ab aliis invadi: ita iis, a quibus ſemel quocumque iuſto titulo eſt adquiſitum, illud non eſt ſine iuſta

cauſa

(1) Anton. Perez. *ad tit. Cod. de vet. numiſm. poteſt. n.* 7. & *Iur. publ. p.* 291. -- Guido Pap. *Quaeſt.* CCCCXCVIII. Fabianus de Monte *de emtione, qu.* 5. *n.* 5. -- Io. Aquila *de poteſt. & utilit. monetae*, *Cap. I.* -- Regner. Sixtin. *de regalibus*, *Lib. II. Cap. VII. n.* 91. *ſeqq.* -- Mynſinger. *Cent. IIII. Obſ.* XXIIII.

cauſa adimendum, quamvis negandum non ſit, etiam cum inferioribus communicatum hoc ius eatenus Principis manere, ut huic illi rationes reddere teneantur, ſi quid adverſus leges publicas de re monetaria admiſerint, cuſique ab illis nummi cum iis, qui a Principe ad legum illarum praeſcriptum percutiuntur, materia ac pondere diſcrepent (1). Denique, & a moribus univerſae fere Europae alienam, & ipſis Imperii Principibus periculoſam eſſe eorum opinionem, qui ius nummos cudendi nec privilegio, nec praeſcriptione adquiri poſſe arbitrantur, ex iis, quae paullo ante obſervavimus, facile intelligitur. Omnes enim Imperii Principes ius illud vel per privilegium, vel per praeſcriptionem adquiſiverunt, adeoque de eo maximo opere periclitarentur, ſi vera eſſet illa ferreae aetatis hominum ſententia. Praeterea quum ICti illi ab univerſitatibus hoc ius adquiri poſſe fateantur: ſatis oſtendunt, ſe, quid velint, neſcire. Nam & univerſitates, niſi liberarum rerum publicarum iuribus fruantur, Principi ſubiectionis lege obſtrictae ſunt, ipſaeque civitates loco privatorum habentur, publicique adpellatio in pleriſque cauſis ad ſolum populum liberum reſpicit: idque adeo verum eſt, ut nec rei publicae cauſa abeſſe intelligantur, qui pro civitate aliqua legatione funguntur (2), ut adeo, cur univerſitates hoc ius adquirere poſſint, alii adquirere non poſſint,

(1) Petr. Gregorius Tholoſan. *Syntagm. iur. Lib. XXXVI. Cap. II. n. 25.* -- Caſp. Zieglerus *de iur. maieſt. Lib. I. Cap.* XXXXVIIII. §. X. -- Ant. Perez. *Iur. publ. p.* 291.
(2) *L. 16. D. de verb. ſignif. & ibi* Io. Goeddeus, Rad. Fornerius, Iac. Cuiacius, *& alii*. -- *L. 26. §. 9. D. ex quib. cauſ. maior. vig. quinque ann. in integr. reſtit.*

Digitized by Google

ſint, nulla omnino idonea poſſit ratio excogitari. Quare ex his omnibus neminem non intellecturum arbitror, hoc ius cudendi monetas, & conſiſtere poſſe cum ſuperioritate territoriali, in potentiſſimum Sardiniae Regem tranſlato, & nihil prohibere, quo minus illud, & in poſterum ſalvum, atque illibatum eſſe debeat Langharum poſſeſſoribus, qui illud ſemel iuſto, ac legitima modo adquiſiverunt.

§. XXXXIII. Contra *ἀσύστατα* haec eſſe, & contradictionem involuere videntur, ſubditum aliquem eſſe, & exemtum tamen eſſe velle ab omni Principis ſui iuriſdictione, atque imperio. Equidem fieri poteſt, ut Statibus immediatis iure competat privilegium de non adpellando, quod quemadmodum olim praefectis praetorio, Senatui Romano, & quibuſdam iudicibus, ea lege datis, ut ab iis provocare non liceret, datum eſſe novimus (1), ita & hodie in Imperio ſereniſſimis Electoribus, aliiſque quibuſdam Imperii Principibus, teſte experientia, competit (2). At ſubditos mediatos, ita eximi Principum ſuorum iuriſdictione, ut non niſi ad Imperatoris Aug. tribunal vocari poſſint: id naturae ſubiectionis adeo videtur refragari, ut dubitem, an huiuſmodi exemplum exſtet in univerſo S. Rom. Imperio. *Qui* enim *quoad perſonam ſuam, & propter homagium ſubiectus eſt alteri, is etiam forum ſortitur coram ipſo in perſonalibus regulariter. Subiectio enim fori*

(1) *L. 1. §. 1. D. de offic. praef. praetor.* -- *L. 17. D. de min.* -- *L. 16. C. de adpell.* -- *L. 1. D. a quib. non lic.* -- Cuiac. *Lib. XII. Obſerv. Cap. III.*

(2) *Vid.* Georgii Melch. Ludolfi *Catalogus privilegiorum S. R. Imperii, Electorum, Principum, & Statuum de non adpellando, ſub finem Iuris Cameralis ſyſtematici.*

Digitized by Google

fori eſt pars ſubiectionis , ſive ſpecies in cauſis ad iuriſdictionem forenſem pertinentibus . Subiectio eſt ratio , a qua neceſſitas fori , & inſtantiae dependet ; tamquam accidens ἀχώριστον a ſubiecto (1). Immo potius notum pervulgatumque eſt, tales eſſe leges iudiciis Imperii praeſcriptas, ut in prima inſtantia numquam recipere poſſint actionem adverſus perſonam Principis cuiuſdam vel Status iuriſdictioni ſubiectam, nec quidquam decernere iis liceat, niſi prius ab actore, fundatam eſſe ſupremi iudicii iuriſdictionem, demonſtratum ſit (2). Numquam autem fundata dicitur iuriſdictio adverſus reum mediatum, niſi in cauſa litigioſae poſſeſſionis, & continentiae cauſarum (3). Ex quibus ſimul patet 1.) ab Ordinum quorumdam Imperii exemtione a iuriſdictione ſupremorum Imperii iudiciorum, argumentum duci non poſſe ad exemtionem ſubditorum mediatorum, quum priore caſu Imperatores, & Imperium iuri ſuo renunciarint, quod unumquemque facere poſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt: poſteriore autem Principibus, & Statibus immediatis ſua iura per huiuſmodi fori privilegia invitis adimerentur, quod per leges Imperii fieri non poſſe, iam ſupra oſtendimus (4). Deinde 2.) ſi verum eſt, ceſſionarium in cedentis locum ſuccedere, eiuſque iuribus frui,

(1) Schilterus *Commentatione de landſaſſiis*, *Cap. VI. n.* 19. 20.
(2) *Ordinat. Cameral. Part. II. tit. I. & tit. XXV.* §. 4. -- Ge. Melch. Ludolfus *Iur. Camer. Sect.* I. §. 2. p. 23. -- Uffenbach *de conſilio aulico*, *Cap. V. ſect. II. p.* 13.
(3) *Ord. Cam. Part. II. tit. XXII.* §. *I. & Part. II. tit. VIIII.* -- Rodingus *Pandect. rer. Cameral. Lib. I. tit. XIIII.* §. 19. -- Textor *ad Receſſ. Imperii noviſſimum Diſſert. II.* §. 46. *ſequ. &* §. 49.
(4) *Capitul.* Caroli VI. *Art. I.*

frui, uti id ſane eſt veriſſimum: verum quoque erit, potentiſſimum Sardiniae Regem ceſſa ſibi ſuperioritate territoriali eatenus in Auguſtiſſimi Imperatoris iura, & locum ſucceſſiſſe, ut quae Caeſareae Maieſtati antea immediate in iſto terrarum tractu competebant iura, ea iam immediate competant potentiſſimo ceſſionario, quumque vaſalli, & poſſeſſores antea immediate ſubeſſent Imperatori, & Imperio, nec ad ullum aliud, quam ad ſublime Auguſtiſſimi Imperatoris tribunal in ius vocarentur, iam neceſſario ſubſint potentiſſimo Sardiniae Regi, nec apud alium, quam hunc immediatum dominum ſuum, poſſint in prima inſtantia conveniri. Res ergo, hac ceſſione, ſine ulla reſervatione iurium immedietatis, vaſallis antea competentium, facta in eum ſtatum redacta eſt, ut illud fori privilegium vaſallis in terris Langharum non magis ſalvum eſſe poſſit, quam ipſa immedietatis iura, ceſſione ſuperioritatis manifeſto exſtincta.

§. VXXXIIII. Alia eſt ratio immunitatis ab oneribus, & ſervitiis, vaſallis quibuſdam antiquitus, vel ſaltim, ante ceſſionem iſtam, privilegiis datae. Sive enim tamquam ſubditi conſiderentur feudorum Langharum poſſeſſores; nullum profecto dubium eſt, quin poſſit, quis ſubditus, & tamen ab oneribus, ſive quibuſdam, ſive omnibus per privilegium immunis eſſe, quia in ſe nec naturae ſubiectionis, nec ipſi aequitati repugnat illud privilegium, dum ne illud reliquis ſubditis oneri ſit (1). Sive tamquam vaſalli: ſervitia non ad ſubſtantiam feudi, ſed ad eius naturalia pertinere, nemo ignorat. Quum vero natu-

(1) *L. 11. D. de vacat. & excuſ. mun.* — Caſp. Ziegler. *de iurib. maieſt. Lib. II. Cap. II. §. 43.*

Digitized by Google

naturalia feudorum pactis, & conventionibus mutari, nihil omnino vetet: etiam ſervitia remitti vaſallis, nec iniquum, nec inauditum eſt. Sunt enim haec illa *feuda franca*, ex quibus nulla ſervitia debentur, quamvis, quod ad reliqua attinet, illa veram feudorum naturam, atque eſſentiam omnino retineant (1). Quum ergo ex diplomatibus, quae conceſſa ſunt feudorum Langharum poſſeſſoribus, perſpicue pateat, ea conceſſa eſſe poſſeſſoribus tamquam feuda franca: & in ceſſionarium non plus iuris, quam cedens fruebatur, tranſire queat: conſequens eſt, ut & potentiſſimus Sardiniae Rex, tranſlato in ſe dominio directo, eamdem qualitatem relinquere teneatur illis ſubfeudis, qua antea tamquam feuda Imperii immediata fruebantur: maxime quum feudi franci qualitas nec naturae ſuperioritatis territorialis, nec dominii directi iuribus adverſetur, ac proinde in omnibus fere territoriis exſtent huiuſmodi feuda franca, taliaque iam ante multa ſaecula exſtitiſſe, exemplis quam plurimis conſtet (2). Neque huic deciſioni noſtrae obſtant argumenta, ſupra (§. XXXX.) adlata. Lis enim non conficitur, immunitatis privilegium plane nullum concedi poſſe, multo minus, ſemel conceſſum, ſine iuſta cauſa eſſe revocandum: ſed partim rarius illud concedi, partim cum reliquorum ſubditorum, & vaſallorum detrimento non coniunctum eſſe, oportere. Quia vero nulla hic ratio eſt, quamobrem immunitatem

l a ſer-

(1) *II. Feud.* 104. -- Roſenthal. *Cap. IIII. concl. LVIIII.* -- Wurmſerus *de feud. impropr. Claſſe III. ſect. VIIII.*

(2) *Corpus Traditionum Fuldenſium num.* 607. & 631. *edit.* Schannati. -- Schannatus *in Clientela Fuldenſi beneficiaria, Cap. III. p.* 40.

a ſervitiis, & oneribus feudorum Langharum poſſeſſoribus datam reliquis vaſallis oneri futuram eſſe ſuſpicemur: eam illis ſalvam, ac illibatam eſſe, merito ſtatuimus, ita tamen, ut ea obſequia, atque ſervitia, quae ſibi Imperatores in diplomatibus iſtis diſerte reſervarunt, etiam potentiſſimo Sardiniae Regi vi ceſſionis omnino deberi, minime dubitemus.

§. XXXXV. Denique quod ad ſingularem illum honorem, quem quibuſdam feudorum iſtorum poſſeſſoribus in curia Caeſarea habitum iri, diplomata quaedam pollicentur, attinet: primo omnium oſtendere deberent illi vaſalli, ac poſſeſſores, ſe a Guillelmi, Romanorum Regis temporibus, quem familiae Fliſcorum id privilegium conceſſiſſe, conſtat, in quaſi poſſeſſione illius honoris fuiſſe, & hodie quoque eſſe. Neque enim a tot ſaeculis ipſis, eorumque maioribus deeſſe potuit occaſio, illud ius in Caeſarum palatio, ac curia exercendi, id eſt, adſidendi in Imperatorum conſilio, & ſumtibus ex fiſco Caeſareo pro ſe, & quadraginta equis, ac comitibus perfruendi. Id vero niſi factum ſit, & doceri tamen queat, occaſionem utendi eo privilegio non defuiſſe, non uſu procul dubio obſolevit tam antiquum, alienumque ab hodierno more aulico, privilegium (1). Deinde ipſum privilegium ita comparatum eſt, ut ceſſione, qua ſuperioritas territorialis in potentiſſimum Sardiniae Regem tranſiit, non comprehendatur. Eſt enim hoc onus quod ſibi, ac ſucceſſoribus impoſuit Guillelmus Rex Romanorum,

(1) Acac. Enenkel *de privileg. Lib. II. Cap. XV.* §. 26. *ſequ.* -- Seraphin. *Deciſ. MXXXXIII. n.* 3. -- *Conſil. Argentorat. Vol. I. conſil.* 2. *n.* 61. -- Victor *de exemt. Imper. Concluſ.* 39.

rum, ius, quod paſſivum adpellitant, quodque ceſſione in alterum tranſire, recte negant iurecon-ſulti (1). Quod hic eo magis locum habere debet, quo clarius in ipſis diplomatibus expreſſum eſt, *bo-norem illum haudquaquam quibuſcumque aliorum iuribus praeiudicaturum*, adeoque ſolam aulam Caeſaream ad illum ſeſe obſtrinxiſſe, eo minus dubitari poteſt, quo clarius ipſa diplomatis verba docent, honorem illum feudorum poſſeſſoribus haberi pro officio, ſeu pro conſiliis, quibus Caeſares iuvare debere dicun-tur. Quod officium quum ipſis nec impoſuerit, nec umquam hac lege impoſiturus videatur Rex Sar-diniae potentiſſimus: ſane nec onus in illum videri poteſt eſſe devolutum. Si ergo ſalvum illis eſſe ho-norem iſtum ſingularem, ac plane inuſitatum ae-quum eſt: ſalvus eſſe debebit in ſola aula Caeſa-rea, non in aula Regis Sardiniae, neque hanc um-quam prohibituram crediderim, quo minus ab Au-guſtiſſimis Imperatoribus vaſallis ſuis iſte honor ha-beatur.

§. XXXXVI. Quum ergo hucuſque probatum ſit, I. ius nummos, & monetas ſignandi, ſecundum Imperii leges, atque obſervantiam partem ſuperiori-tatis non eſſe, & hinc ſaepe illud ſtatibus civitati-buſque etiam mediatis privilegio concedi, ab iiſque exerceri ſolere: (§. XXXXII.) II. exemtionem a domini ſuperioris iuriſdictione naturae ſuperioritatis, ac ſubiectionis omnino refragari, ac proinde cum hac conſiſtere non poſſe: (§. XXXXIII.) III. Im-

l 2 mu-

(1) Alph. *ab* Olea *de ceſſione iur. Tit. III. quaeſt. VIIII. n. 22. & quaeſt. V. n. 12.* — Io. Brunnemann. *de ceſſione action. Cap. IIII. n. 93.* — Sam. Strykius. *de iure non ceſſi-bili, Cap. VI.* §. 3.

munitatem, & civibus vel ſubditis, & vaſallis, dari poſſe, & ſemel datam ſine iuſta cauſa adimi non debere: (§. XXXXIIII.) denique IIII. honorem illum, quem familiis quibuſdam in aula ſua habitum iri, promiſerunt Caeſares, cum ceſſione dominii directi, ac ſuperioritatis territorialis nihil omnino commune habere: (§. XXXXV.) non poſſum non inde colligere, ius cudendi nummos, & privilegium immunitatis ſalva, atque illibata eſſe poſſe feudorum Langharum poſſeſſoribus, non autem privilegium, quo ſe a iuriſdictione potentiſſimi ceſſionarii exemtos eſſe, exiſtimant, neque honorem illum, vetuſtis diplomatibus promiſſum, eatenus nimirum, ut illum ſibi in Regiae Maieſtatis Sardiniae aula habendum eſſe, poſſint adſeverare.

III. AN IURA QUAEDAM,
IN DIPLOMATIBUS NON EXPRESSA, PER INTERPRETATIONEM EORUM ESTENSIVAM RECTE INDE ELICIANTUR?

§. XXXXVII. Quamvis, quod ad hanc quaeſtionem attinet, illa omnino adfirmanda videatur, partim I. quod ipſum ius civile beneficia Imperatorum, quae a divina eorum indulgentia proficſcuntur, quam pleniſſime interpretanda eſſe, monet (1), ac proinde Seneca, moris Romani ea in re non ignarus, diſerte ſcribit, nullum eſſe tam plenum beneficium, quod non vellicare malignitas

(1) *L. 3. D. de conſtitut. princ. — L. 201. D. de verb. ſignif. L. 220. D. eod. —* Acac. *ab* Enenkel *de privileg. Lib. II. Cap. IIII.*

gnitas poſſit, nullum tam anguſtum, quod non bonus interpres extendat [1]. Partim II. quod ab officio ad iura cum illis coniuncta, & ab horum uſu, atque exercitio ad dignitatem, atque officium, ad quod illa iura pertinent, rectiſſime duci poſſe argumentum videtur. Quis enim neget illum Vicarium eſſe, cui omnia iura, quae Vicariis dari ſolent, competunt? Quis reipſa Principem in Cherſoneſo fuiſſe, neget Miltiadem, qui ibi erat dignitate regia, iuraque omnia Principis exercebat, quamvis careret nomine [2]? Quis denique vicariatus dignitate diſertis verbis ornatum omnibus iuribus cum illa coniunctis, adeoque, & iure leges adverſus ius commune ferendi frui debere neget? maxime quum omnibus fere huiuſmodi diplomatibus, & vicariatus formulis accedere ſoleant clauſulae generales, quas ſupra (§. VI.) in ipſa facti ſpecie vidimus, quarumque is omnino effectus eſſe videtur, ut iis, quibus illa dignitas data eſt, etiam iura, & privilegia vicariorum non expreſſa competant. Denique III. his argumentis accedit, quod domini Vicarii, qui ſibi huiuſmodi iura adrogant, ſimul adhuc fuerint vaſalli immediati S. Romani Imperii, horum autem ea ſit praerogativa, ut leges ferre ſuo arbitrio omnino poſſint, ceu iuris publici ſcriptores omnes veluti ex compacto fatentur, & inter hos pluribus exemplis, argumentiſque ex inſtituto probavit [3]. Ut adeo hoc ſimiliaque iura, ſi vel maxime non exprimantur in diplomatibus, vel ex ipſa vaſallorum immediatorum qualitate recte elici poſse videantur.

§.

(1) Seneca *de benef. Lib. II. Cap. XXVIII.*
(2) Cornelius Nepos *Miltiad. Cap. II.*
(3) Hertius *Diſſ. de ſuperioritate territoriali* §. XXV.

Digitized by Google

§. XXXXVIII. Nihilominus tamen huiuſmodi privilegiorum interpretationi non eſse locum, cenſeo; eiuſque ſententiae meae rationem non unam mihi habere videor. Nam I. privilegiorum ea eſt natura, ut *ad exemplum non ſint trahenda* (1); ad quae verba recte notant interpretes, generales quidem conſtitutiones interpretando ad omnes ſimiles caſus porrigi poſse, ſpeciales non item (2): idque & iuſtiſſimam omnino habet rationem, quia regula illa, in qua totius interpretationis extenſivae veluti fundamentum poſitum eſt, *ubi eadem ratio ſit, ibi eamdem eſſe debere iuris diſpoſitionem*, plane non quadrat principum beneficiis, nec ſequitur, ut ſi princeps ob diuturnam militiam uni centurioni donet ſervulum balnearium; idem beneficium, & reliqui omnes, qui totidem ſtipendia fecíſsent, iure quodam ſuo exigere poſſint, quippe quibus lepido reſponſo illuſum eſse ab Hadriano Imp. novimus (3). II. Abſonum eſt, ab officio vicarii ad quaedam iura, cum iis coniuncta, vel ab his ad vicariatus dignitatem argumentum ducere, quum vicarii, ſint Imperatorum mandatarii, vel, uti in diplomate Rudolfi I. Imperatoris anni MCCLXXXIII. vocantur, *procuratores, & nuncii plenum mandatum, & liberam adminiſtrandi poteſtatem, ab Imperatoribus habentes* (4), his autem non plus iuris, quam quod ipſis mandatum, ac delegatum eſt, explicare liceat. Sane tot diplomata, quae ſupra adduximus, non

(1) §. *6. Inſtit. de iure nat. gent. & civ.* -- *L.* 1. §. 2. *D. de conſt. princ.*

(2) Conr. Rittershuſ. *in Commentar. ad Inſtit.* p. 34.

(3) Spartian. *Hadriar. Cap. XVII.*

(4) Edm. Martene *Anecdot. Tom. I.* p. 1192.

Digitized by Google

non unam, eamdemque omnibus Vicariis poteſtatem tribuunt, ſed maiorem aliis, aliis minorem, adeo ut quibuſdam ſolam iuriſdictionem civilem, aliis inſuper ius praeſidiatus, merum imperium vel ius gladii, aliis denique ius armorum, & poteſtatem rebelles bello perſequendi, cogendique in ordinem concedi conſueviſſe viderimus. Mandata autem ſunt ſtricti iuris, neque ultra id, quod cuique commiſſum eſt, quidquam licere debet mandatariis (1). Et ſi vel maxime haec dignitas poſtea familiis quibuſdam in feudum, vel per modum beneficii data ſit: tamen & hic locum habet id, quod Neratium reſpondiſſe conſtat: *quem modum eſſe beneficii ſui velit, ipſius Principis eſſe aeſtimationem* (2). Quem autem modum Imperatores eſſe voluerint beneficii ſui, ſeu vicariatus, certis familiis illuſtribus, ſub clientelari lege dati, ipſi procul dubio aeſtimarunt, dum iura omnia ab illis explicanda in diplomatibus ſuis enumerarunt fuſius: ultra quae iura enumerata ſibi quid adrogare velle, incivile eſſet futurum, quia & inſtrumenta, ac diplomata ſunt ſtricti iuris (3), ac proinde, quae illis non exprimuntur, interpretatione ſuppleri non poſſunt (4). Idque III. hic eo minus

(1) *L. 5. pr. D. mand. -- Cap. 32. X. de offic. deleg.* -- Andr. Tiraquell. *in L. Si umquam C. de revoc. donat. verb. libertis n. 59. -- Cardin.* Tuſchus *Pract. Concluſ. Tom. V. lit. M. concluſ. 59.*

(2) *L. 191. D. de diverſ. regul. iur.*

(3) Matth. Weſenbec. *Paratitt. Dig. de fide inſtr. num.* 7. Vinnius *Diſp. XVII. ad Proceſſ. theſ. VIIII. n.* 43.

(4) Herm. Vulteius *Conſil. Marpurg. Vol. III. Conſil. XXXI. n.* 8. -- Matth. Weſenbecius *Vol. I. Conſ. XV. n.* 42. *& Conſ. XXII. n.* 5. -- Gutierez. *V. Pract. quaeſt. LXII. n.* 17. -- Pruckmannus *Conſil. XIIII. n. 92. Vol. I.* -- Cothmannus *Conſil. V. n. 68. ſeq. Vol. I.*

nus fieri poterit ; quo minus probari poteſt , ulli Vicario eius ordinis , cuius ſunt feudorum Langharum poſſeſſores, legislatoriam poteſtatem , quae fere inter iura maieſtatis praecipuum eſt , datam eſſe ab Imperatoribus. Sunt illi, ut alii magiſtratus, cuſtodes legum : non earum arbitri , ac domini , provinciis etiam vel civitatibus praeficiuntur, ut ius dicant ſecundum leges , non ut eas ſuo lubitu figere , ac refigere, aut iiſdem ſubrogare, abrogare, derogare prout viſum eſſet , poſſint . Immo quum apud Petrum de Vineis cuidam cum ampliſſima facultate , & iure praeſidiatus committatur generalis vicariatus a Papia infra Lombardiam , tamen inter tot iura ibi prolixius enumerata ne verbo quidem mentio fit legislatoriae poteſtatis , illi ſimul conceſſae (1) : ſed & alibi , quamvis Imperator permagnam in viro nobili, quem Eſtuli civitati poteſtatem praefecit , collocet fiduciam , eumque ſua vice civitati praeeſſe iubeat: tantum tamen abeſt , ut ei legum ferendarum det poteſtatem , ut potius eum *in ſtatuta eiuſdem civitatis iurare* iubeat , idque illi mandatum eſſe, Eſtulanos reſcripto ſuo faciat certiores (2). Non magis ergo ad Vicariorum, quam olim ad Praeſidis, vel Praefecti Auguſtalis , officium pertinet leges ferre , iuri communi derogantes : immo potius , vel maxime id negotii ſibi datum credere debent, ſalvas ut eſſe curent , quae in provinciis civitatibuſque ſuis vigent, leges, ſalva Imperatorum, quorum vice praeſunt, maieſtas, atque auctoritas. Ex iiſque ſatis, opinor, intelligitur, nec a vicariatus dignitate , cuius natura per feudum non mutatur, ad iura quaedam ,

(1) Petr. de Vineis *Lib. V. Epiſt. I.*
(2) Idem *Lib. V. Epiſt. C. & CI.*

dam , in diplomatibus non expreſſa , nec a iuribus quibuſdam per modum privilegii conceſſis ad vicariatus dignitatem duci poſſe argumentum . Non prius : quia mandatarii non eſt , quidquam ſibi ultra fines mandati adrogare . Neque poſterius : quia talia iura, ac privilegia aliis quoque , quam vicariis , concedi potuerunt : adeoque neutrum argumentum , quod demonſtrandum erat , procedit , vanaque proinde eſt extenſiva illa interpretandi ratio .

§. XXXXVIIII. Quibus obſervatis , rationes , quibus contrarium probari exiſtimare quis poſſet , (§. XXXXVII.) ſua ſponte corruunt . I. Beneficia Principum , quae a divina eorum indulgentia proficiſcuntur , quam pleniſſime interpretanda eſſe , facile largimur : at pleniſſimam etiam interpretationem ab extenſiva illa, qua privilegia ad caſus non expreſſos, vel ad iura diſertis verbis non conceſſa proferuntur, quam maxime diſcrepare , novimus . Quam pleniſſime interpretamur Principis beneficium , ſi illud ita accipimus , ut effectum ſortiri poſſit , non ſi alia iura inde elicimus , de quibus umquam a Principe fuiſſe cogitatum , ex verbis privilegii ne ſuſpicari quidem licet (1) . Reliquae, quas ſupra adduximus, le-

(1) M. Anton. Muretus *Comment. de Conſtitutionibus Principum , Tom. IIII. Theſauri iur. civil. p.* 206. *Beneficia Principalia , inquit , interpretari ipſi Principes ſolent. l.* 43. *pr. D. de vulg. & pupill. ſubſtit. l.* 191. *D. de reg. iur. Nos tamen , quod ſine cuiuſque iniuria fiat , & dumne ex*cedamus *modum ipſum beneficii , a Principe collati , ea quam latiſſime interpretari debemus . Exemplum ex l.* 57. *D. de re iud. ex l.* 38. *D. ex quibus cauſſ. maior. ex l.* 21. *D. de verbor. ſignif. Accurſius inepte ponit exemplum ex l.* 3. *§. ult. cum l. ſequ. D. de poen. leg. aeque inepte ex l.* 1. *D. ad municipal. Bartolus ex l.* 1. *§.* 4.

ges, puta *l.* 201. *&* 220. *D. de verb. ſignific.* non ad privilegia, ſed ad ius commune pertinent, quod interpretationem extenſivam admittere, nemo negat. Immo ne Enenkelius quidem ſuam ab hac, quam nos defendimus, ſeiunxit ſententiam, faſſus quippe, extenſivae privilegiorum interpretationi non eſſe locum, niſi ea ex ipſius Principis iudicio, atque auctoritate profecta videatur (1). Sed nec Seneca, quamvis ei arbitrium in hac cauſſa nemo detulerit, aliud velle videtur, quam quod maligna ingenia cavillari, idque agere ſoleant, ne quis fructum capiat ex Principis beneficio, viri boni autem illud ita accipiant, ut privilegiatus ſolido beneficio perfruatur. II. Secundae rationi iam ſuperiore paragrapho ſatisfecimus. Neque enim omnium Vicariorum eadem iura, neque iura illa, quae iſti vice ſacra exercent, tam illis propria ſunt, ut aliis, & ex alia cauſſa, competere nequeant. Tales vero propoſitiones, ſalvis dialecticorum regulis, converti non poſſe, & iis notum eſt, qui nondum aere lavantur. Recte dici poteſt, Vicarios ius dicere vice Caeſaris: at falſiſſimum eſt; eos, qui ius vice Caeſaris dicunt (veluti Conſiliarios Caeſaris aulicos,) eſſe Vicarios. Quare verum quidem eſt, eum, qui ſupremo iure imperat, Principem eſſe, quamvis careat nomine, quia tale imperium ita proprium eſt Principi, ut in neminem alium cadat: at verum non eſt, eum, cui iura quaedam, quae & vicarii mandatu Imperatoris explicare ſolent, per modum pri-

D. de offic. praef. urb. nihilo melius. Quae a nobis poſita ſunt, vera & apta ſunt. Addatur Io. Iac. wiſſenbachius *Diſp. IIII. ad Pand.* §. 19.

(1) Acac. *ab* Enenkel *de privileg. Lib. II. Cap. IIII. n.* 7.

privilegii conceſſa ſunt, illico eſſe Vicarium, quia Vicarii illa iura cum multis aliis communia habent. Denique clauſulae illae generales, quae in diplomatibus pleriſque occurrunt, nihil dominis Vicariis tribuunt, niſi *quod iis de iure, vel de conſuetudine competere ſoleat:* probare vero, poteſtatem legiſlatoriam iis de iure, vel de conſuetudine competere, hoc opus, hic labor eſt, & in hac Rhodo ſaltare omnino glorioſum erit illis, qui tot nobis legiſlatores, quot ſpeciales Italiae Vicarios, obtrudunt. III. Nemo, cui ſatis perſpecta eſt S. Romani Imperii facies, concedet, nexum cliantelarem, quo quis Imperio immediate obſtrictus eſt, cum iuribus regalibus, & legiſlatoria in primis poteſtate, neceſſario debere eſſe coniunctum. Praeterquam enim, quod ex ipſo iure feudali conſtat, iurium regalium conceſſionem non praeſumi, ſed ex inſtrumentis ſuper inveſtitura confectis probandam eſſe, nec uno alterove regali conceſſa reliqua data praeſumi (1): nemo ignorat, ab Imperatore Auguſtiſſimo, & Imperio in ipſa Germania dari ſolere quaedam feuda burgenſia, quae vocant, & culinaria Noribergenſia, [*Nurnbergiſche Kuchen-Lehn*,] cum nullis omnino iuribus regalibus coniuncta (2): quorum poſſeſſores ſi ſe ideo, quod immediati Imperii vaſalli ſint, legiſlatoria poteſtate, aliiſque iuribus regalibus gaudere adſeverarent, procul dubio ad agnatos, & gen-

(1) *Quod & de feudis Imperii probat* Itterus *de feud. Imperii, Cap. VIII. §. 33. p. 425. ſequ.*

(2) Io. Limnaeus *Comment. ad Auream Bullam, Cap. V. §. I. obſerv. XIIII.* -- Chriſt. *ab* Uffenbach *de iudicio Imp. Aulico, Cap. VIIII. ſect. II. p. 71.* -- Io. Guill. Itterus *de feudis Imperii, Cap. III. §. XXVII. p. 145.*

tiles remitterentur. Recte Hertius ius leges ferendi vindicavit illis Imperii vaſallis, quibus ſuperioritas territorialis competit: at nec Hertius, nec ullus alius eorum, qui ſapiunt, omnibus immediatis Imperii vaſallis ſuperioritatem territorialem competere, umquam ſtatuit. Bene, ac ſapienter Ioannes Guill. Itterus: *etiam privatos, inquit, imperialia feuda nonnumquam conſequutos eſſe, legimus, qualia exempla conſignavit Limnaeus. Et complura etiam nobis innotuerunt. Sed vereor, ne vel ſtupiditatis lectorem meum arguere, vel laureolam in muſtaceo quaerere videar, ſi plura huius generis exempla accumulando operoſe hanc ſententiam adſtruere nitar, quum imperatoriam quidem inveſtituram illarum virium nequaquam eſſe conſtet, ut Status Imperii conſtitutionem importet; prout poſt Paurmeiſterum alioſque recte docuit Mingius* (1). Quae quum ita ſint, tam eminentia ſuperioritatis iura, qualia ſibi quidam feudorum Langharum poſſeſſores adrogare dicuntur, per ſolam interpretationem extenſivam induci neutiquam poſſe, iure meritoque ſtatuere nobis videmur.

IIII. AN TALIA IURA

EX OMNIMODAE IURISDICTIONIS, VEL MERI MIXTIQUE IMPERII CONCESSIONE RECTE ELICIANTUR?

§. L. QUid moveat feudorum Langharum poſſeſſores, ut conceſſo ſibi *mero mixtoque Imperio*, vel *omnimoda iuriſdictione*, etiam alia iura publi-

(1) Io. Guill. Itterus *ibid. Cap. V.* §. XX. *p.* 210. -- Paurmeiſterus *de iuriſdict. Lib. II. Cap. VIII. n.* 4. -- Mingius *de ſuperiorit. territor. Cap. II. n.* 23.

blimia, ipſamque legiſlatoriam poteſtatem, competere ſibi debere exiſtiment: non adeo obſcurum eſt. Qui enim I. refloreſcente in Italiae Academiis iuriſprudentia, libros iuris civilis interpretabantur, ii ipſam illam Principum poteſtatem, quae hodie ſuperioritatis territorialis nomine venit, merum mixtumque Imperium adpellare non dubitabant: eoſque praeeuntes deinde, & alii cateruatim ſequebantur, adeo, ut iam in mores iret, ſuperioritatem iſtam modo *iuriſdictionis omnimodae*, modo *meri mixti*que *Imperii* vocabulis denotari. Ita ſane *Bartolum*, *Carolum Tapiam*, *Vaſquium*, *Klockium*, *Buxtorffium*, *Neichſnerum*, *Gylmannum*, & alios loqui ſolere, docuit ſaepe laudatus *Hertius* (1), qui ibidem oſtendit, quoſdam & ius condendi leges, vel ſtatuta ad merum mixtumque imperium referre (2). Quare II. non mirum eſt, hanc loquendi ſcribendique rationem etiam in Imperatorum Principumque diplomata migraſſe, in quibus ſaepenumero tota territoria dantur cum *omni iure*, *&* *iuriſdictione*, vel cum *iuriſdictionibus*, itemque cum *iuriſdictione*, *mero & mixto Imperio*, *& earum exercitio*, *& poteſtate animadvertendi* (3). Quae diplomatum verba viros doctiſſimos de ſuperioritate territoriali ſummoque imperio paſſim interpretari animad-

(1) *De ſuperioritate territor.* §. 2.
(2) Carol. Tapia *ad l. fin. D. de conſtit. princ.* -- Klock. *Relat. LXXII. n.* 55.
(3) Aegid. Gelenius *de magnitud. Colon. Lib. I. Cap. VII. p.* 73. -- Schilter. *Inſtit. iur. publ. Tom. II. Tit. XVI. p.* 118. -- Nic. Schaten. *Annal. Paderb. Lib. VIIII. ad Ann. MCLXXXXVIII. p.* 921. *ſequ.* -- Kyriander *de Auguſta Trever. tit. XV. p.* 159. -- Pfeffinger. *ad Vitriar. Tom. III. p.* 1077. *ſequ.*

Digitized by Google

madvertimus (1). Quum ergo veteres illi ICti medio aevo ita interpretati ſint omnimodam iuriſdictionem merumque, & mixtum imperium, ut iis & poteſtatem leges, vel ſtatuta condendi, & omnem ſuperioritatem territorialem, comprehenderent, & ipſi Imperatores in litteris, quibus Principes inveſtiebant, vocabulis iſtis hanc notionem ſubiicere ſolerent: quis dubitet, quaeſo, quin & feudorum Langharum poſſeſſoribus cum omnimoda iuriſdictione meroque, & mixto imperio poteſtas leges ferendi, aliaque ſuperioritatis iura data ſint?

§. LI. Enimvero, ſive ex iuris Romani, ſive ex Germanici principiis *iuriſdictionem merumque, & mixtum imperium* conſideremus: neutrum vocabulum vel legiſlatoriam poteſtatem, vel ipſum ſublime ius territorii, umquam ſuo ambitu complexum eſt. *Iuriſdictio* enim apud Romanos erat ius tria verba ſollemnia: *do*, *dico*, *addico*, e tribunali pronunciandi, illaque adeo in *decernendo dandoque iudice* conſiſtebat (2). *Imperium* a Romanis dicebatur, quodcumque ſine vi quadam armata non poterat rite explicari: qua vi ſi quando utebantur, qui iuri dicundo praeerant, ut iudicata exſequerentur, *Imperii mixti*: ſin, quibus publicorum iudiciorum exercitio data fuerat, gladio aliiſque ſuppliciis animadvertebant in facinoroſos homines, *meri* nomine veniebat (3). Haec

omnia

(1) BroWerus *Ann. Trevir. Lib. XVII. ad ann.* MCCCXIIII. Hertius *de ſuperiorit. territ.* §. 2. *p.* 183. *ſequ.* -- Pfeffinger. *Vitriar. illuſtrat. Tom. III. p.* 1056. 1093.

(2) *Demonſtravimus hoc ſingulari diſſertatione de locat. conduct. iuriſd. Cap. I.* §. X. *Add.* Carol. Sigon. *de iure civ. Rom. Lib. I. Cap. VII.* & Ger. Noodt. *de iuriſdict. Lib. I. Cap. VII.*

(3) *Diſſertatio noſtra cit. Cap. I.* §. XIII.

Digitized by Google

omnia vero tantum abeſt, ut ſuperioritatem alicui tribuerent, ut manifeſto competerent magiſtratibus tantum, quibus ea poteſtas, vel ex electione, vel ſpeciali lege fuerat delata. Quod vero Germanorum mores attinet, apud eos iuriſdictio pars quidem erat ſuperioritatis, at ſuperioritatem non magis abſolvebat, quam merum imperium, ſeu, uti Germani loqui ſolebant, *bannum & iudicium ſanguinis*. Recte ergo dici poterat, Statibus Imperii immediatis, quibus haec iura erant, licere etiam leges ferre, non quidem vi iuriſdictionis, vel meri mixtique imperii, ſed vi ſuperioritatis territorialis: at abſurde quis colligeret, eos, qui inveſtiti ſunt *omnimoda iuriſdictione, & mero mixtoque imperio*, etiam ſuperioritate, & iure leges ferendi gaudere, quum permulti equeſtris ordinis viri, etiam *mediati, & landſaſſii*, feuda ſua cum his regalibus poſſideant, nec tamen, vel legiſlatoriam poteſtatem, vel alia ſuperioritatis iura, ſibi ideo poſſint adrogare (1). Nihil ergo nos movet ſententia veterum gloſſatorum eorumque, qui illis, tamquam claudi pilae inhaerent, omnimodam iuriſdictionem, ac merum mixtumque imperium cum poteſtate legiſlatoria coniunctum eſſe, exiſtimantium. Horum enim, niſi vel textuum teſtimonio, vel ſolidis argumentis nitantur, non maior eſt apud viros cordatos auctoritas, quam pictorum, ac poëtarum, quibus, *Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas*. Novi equidem, quid eos in hunc errorem induxerit. Quum enim praetores

aliosque

(1) *Diſceptatio Philippi Landgr. Haſſ. cum Henrico Duce Brunſu.* apud Hortlederum *de cauſſis belli Germ. Lib. IIII. Cap. VI. ſequ. -- Deductio Epiſcopi Bamberg. apud* Londorpium *Actor. publ. Parte IIII. Lib. II, Cap. I. n.* 13.

alioſque magiſtratus, ius dicentes, edicta propoſuiſſe legerent, taliaque edicta monitoria, & brevia etiam ab iis, quibus iudiciorum publicorum exercitio erat, edita eſſe audiviſſent: qua erant ingenii felicitate, ſtatim inde collegerunt, cum iuriſdictione, & mero mixtoque imperio coniunctam eſſe poteſtatem ferendi leges, & ſtatuta condendi. Sed facile profecto, ſi mens non laeva fuiſſet, potuiſſent animadvertere, nec legum nomen meruiſſe edicta illa magiſtratuum, nec contra ius commune valuiſſe. Praetor enim neminem tuebatur, *cui obſtabat lex vel conſtitutio, ne contra Leges faceret* (1). Immo potius leges, plebiſcita, SCta, conſtitutiones, ac decreta principum, ubi quid ediceret, ſemper excipiebat, & ne bonorum quidem dabat poſſeſſionem, ſicubi lex vel SC. vel conſtitutio capere hereditatem prohiberet (2). Non ergo magiſtratus novas ferebant leges, ſed latas cuſtodiebant, adiuvabant, & ſupplebant, neque leges, ſed ius tantum civile, ſeu interpretamenta ICtorum, paullo rigidiora, interdum corrigebant propter utilitatem publicam, ut adeo ius honorarium non nova legislatio eſſet, ſed *viva vox iuris civilis* (3). Eadem erat ratio edictorum brevium, ſeu monitoriorum, quae ante iudicia publica proponebantur. Neque enim magiſtratus, quibus quaeſtio demandata fuerat, illis novas leges faciebant, ſed *ſeſe exſequuturos eſſe leges*, denunciabant (4). Sed tales

(1) *L. 12. §. 4. D. de Public. in rem. act.*
(2) *L. 7. §. 7. D. de pact. — L. 1. D. de feriis. — L. 28. §. 2. D. de ex quib. cauſſ. mai. vig. quinqu. ann. — L. 12. §. 1. D. de bon. poſſeſſ. — §. 2. Inſt. eod.*
(3) *L. 7. §. 1. D. de iuſt. & iure. — L. 8. D. eod.*
(4) Plin. *Lib. V. Epiſt. XXI.* — Fridr. Brummer. *ad leg. Cinciam, Cap. VI. §. 7. & 8.*

tales quidem ignes fatui olim, quum veluti illuni nocte inter ſpiſſiſſimas tenebras eundum eſſet, fallere poterant homines. Iam eo vivimus ſaeculo, quo nemo temere, qui vel a primo limine iuriſprudentiam ſalutavit, perſuaderi ſibi a Bartolo patietur, cum poteſtate legislatoria coniunctam eſſe, vel iuriſdictionem, vel poteſtatem animadvertendi in facinoroſos, quae apud Romanos *imperii meri* nomine venerit. Nec magis II. diplomatibus, in quibus Principibus Imperii iuriſdictio, & imperium tribuitur, quidquam ineſt momenti. Primo enim illi poteſtati plerumque, & alia iunguntur iura, ex quibus patet, illis maius quid, ac ſublimius, quam iuriſdictionem, vel imperium, qualia & mediatis poſſint competere, tribui: e. g. *Cum omni iure, & iuriſdictione, videlicet cum* Comitatibus, *cum* Advocatiis, *cum conductibus, & omnibus ad* eum Ducatum *pertinentibus* (1). *Iuriſdictiones, videlicet* Advocatias, *&* Comitatus, *&* Regales Bannos (2), adeoque non ex ſolis illis vocabulis, quae & in mediatorum equeſtris ordinis hominum inveſtituris locum habere poterant, infertur ſuperioritas, ſed ex reliquis, quae illis adiunguntur, & toto diplomatis, vel privilegii contextu. Deinde iam antea eſt demonſtratum in privilegiis huiuſmodi, ac conceſſionibus locum non eſſe interpretationi extenſivae, adeoque multo minus locus erit interpretationi a principiis rectae rationis, & genuinis iuriſprudentiae regulis plane abhorrenti, & non alii fundamento, quam abſonae, & falſiſſimae gloſſatorum opinioni, vel ſomnio potius, ſuperſtructae.

n S. LII.

(1) Aegid. Gelen. *loco ſupra laudato*.
(2) Nic. Schaten. *Annal. Paderb. ad ann. MCLXXXXVIII.*

Digitized by Google

§. LII. Iam ut demum ſubductis rationibus ſummam faciamus eorum omnium, quae nobis videntur, circa *primam Quaeſtionem* luculenter hactenus demonſtraſſe: eo illa redeunt univerſa, I. ut, translato in potentiſſimum Sardiniae Regem ſublimi territorii iure, non amplius locum eſſe arbitremur vicariae poteſtati (§. XXVII.) neque II. exemtioni a iuriſdictione potentiſſimi ceſſionarii: (§. XXXXIIII.) neque III. inuſitatis illis, quibus ſe poſſeſſores Langharum olim in Caeſarea aula ornatos fuiſſe aiunt, honoribus: (§. XXXXV.) neque IIII. praerogativis aliis, expreſſe non conceſſis, ſed per interpretationem extenſivam, vel ex officio vicariatus, iuriumque, quibus adhuc uſi ſunt, (§. XXXXVIIII.) vel V. ex conceſſa iuriſdictione, meroque & mixto imperio elicitis. (§. LI.) At nihil contra impedire ceſſam illam potentiſſimo Regi ſuperioritatem, quo minus VI. dignitas Comitivae S. Palatii Lateranenſis, (§. XXXI.) VII. ius cudendi nummos, (§. XXXXII.) ac denique VIII. immunitas ab oneribus, ſervitiis, atque obſequiis (§. XXXXIIII.) rite ac iuſte adquiſita, ſalva ſint feudorum iſtorum poſſeſſoribus.

QUAESTIO II.

§. LIII. Non piguit nos ea, quae ad primae quaeſtionis ſolutionem pertinent, paullo fuſius atque accuratius explicare: quia ita iactum iri animadvertimus fundamenta deciſionis omnium reliquarum quaeſtionum. Dum enim iam porro quaeritur, *an privilegia illa, de quibus hactenus actum, ex ſeſe Vicarii Imperialis dignitatem involvant, quam-*

vis

vis illius nulla penitus in diplomatibus facta ſit mentio? iam ſupra quidem oſtendimus, (§. XXXXVIIII.) fieri aliquando poſſe, ut ab officio ad iura cum illo coniuncta, & ab his ad officium recte ducatur argumentum, ſi nimirum iura illa ita ſemper cohaereant officio, ut illi ſint propria, nec extra illud nemini competant, eamque in rem attulimus exemplum Mitiadis, quem, quamvis careret nomine, tamen principatu, vel tyramnide in Cherſoneſo functum eſſe, inde colligebat *Cornelius Nepos*, quod omnia ibi ſupremo iure, & pro principe egerit. Id enim adeo proprium eſt vel principum, vel tyrannorum, uti vocabatur Miltiades, ut aliis competere nequeat.

§. LIIII. At ibidem nos, longe aliam eſſe Vicariatus rationem, oſtendimus, primo eos, tamquam Imperatorum, & Regum Rom. procuratores nihil poteſtatis habere, quam quod ipſis expreſſe ſit mandatum, adeoque non omnium eadem iura, eamdemque auctoritatem eſſe: deinde ex hoc ipſo ſequi, non eſſe ulla iura vicariorum tam certa, ac dignitati iſti tam propria, ut ab illorum exercitio ad ipſam dignitatem Vicariatus duci argumentum poſſit. Vicaria enim poteſtas in eo praecipue conſtitit, ut pacis curam agerent, ut ius dicerent nomine Imperatoris, ut iudices, tutores, curatores darent, decreta interponerent, aliquando & id adiectum reperimus, ut iis in facinoroſos animadvertere liceret, quod tamen ius a vicariatu diſcerni, & *iuris praeſidiatus* nomine venire, animadvertimus in formula vicariatus apud *Petrum de Vineis* (1). Quam multi vero ſunt, quibus talia iura, immo multo ſublimiora, iure feudi competunt, quos nemo ideo di-

(1) *Lib. V. Epiſt. I. p.* 579.

xerit Imperatorum, vel Imperii vicarios? Competunt huiuſmodi iura, (ut iam de mediatis non dicam,) etiam viris equeſtris ordinis, qui immediate imperio ſubeſt, iis puta, qui foederibus inter ſe colligati, per tractum Rhenanum, Sveviam, & Franconiam, tam inſignibus iuribus, & privilegiis in praediis ſuis gaudent, ut accuratiſſimi Iuris Publici Auctores illi ſuperioritatem territorialem tribuere non dubitent (1). Quis vero tam eſſet hoſpes in Iure Imperii Romano-Germanici Publico, ut illos eſſe Imperii vicarios, ſibi aliiſque perſuaderet? Deinde II. hoc ſimilibuſque exemplis conſtat, numquam in Germania totoque Imperio moribus invaluiſſe, ut quiſquam, vel ob poteſtatem, & iura, quibus fruitur, certam dignitatem ſibi adſerere poſſet: vel ob dignitatem, quam titulo praeferret, ipſius poteſtatis particeps haberetur, niſi ea dignitas vere, & expreſſe conceſſa eſſet. Sic iam olim haud paucos vidit Germania, qui in ampliſſimis terrarum tractibus, quos iure hereditario, tamquam allodia, poſſidebant, non minore auctoritate poteſtateque ſubditis ſuis imperabant, ac Duces, & Comites: nec tamen ea Ducum Comitumve dignitate gaudebant, niſi illam ab Imperatoribus, & Regibus accepiſſent. Tales veteres Guelphi, de quibus *Leibnitius*, *Guelphi*, inquit, *antiqui*, *ſive ex Alamannis*, *ut veteres ſcribunt*, *ſive ex Agilolfingis*, *vetuſtis Baioariorum Rectoribus*, *ut quibuſdam viris doctis placet*, *olim in Svevia*, *& Bavaria hereditarias*, *nullique feudorum legi obnoxias ditiones habuere*, *quae tunc inſignis praerogativa habebatur: uſque adeo*, *ut quidam ex illis*, *Ethico*

(1) *Vid.* Io. Steph. Burgemeiſterus *in Theſauro iuris equeſtris publici*, *& privati*, *Ulmae* MDCCXVIII.

Ethico indignaretur Henrico filio, quod inſignem terrarum tractum ſub homagii conditione Imperatoris beneficio recepiſſet. Principes ergo habebantur etiam, qui Duces Comiteſque, [quod feudale erat,] non adpellarentur, qui tamen domum ſuam aliquando regio more per miniſteria Comitum, vel his aequalium, regebant (1). Contra ſaepe eveniebat, ut quidam Ducum Comitumque dignitate ornati, neque Ducatui tamen, neque Comitatui praeeſſent, veluti Berchtholdus Zaringenſis, eiuſque poſteri, de quibus vetus, atque illuſtris annalium ſcriptor: Beroldus, inquit, *vacuum ex hinc nomen ducis gerens, id quaſi hereditarium poſteris reliquit. Omnes enim uſque ad praeſentem diem Duces dicti ſunt, nullum Ducatum habentes, ſoloque nomine ſine re participantes. Niſi quis Ducatum eſſe dicat Comitatum inter Iuram, & montem Iovis, quem poſt mortem Guillelmi Comitis filius ſuus Conradus ab Imperatore Lothario ſuſcepit, vel a Ducato Carentano, quem numquam habuerunt, Ducis eos nomine honorandos contendat, in aliis tamen rerum, & honoris non parva pollentes magnificentia* (2). Quis ergo ex iuribus, quibus Guelphi in allodio ſuo uſi ſunt, ducalibus plane paribus, colligeret, eos vere Duces fuiſſe? aut quis Berchtholdo Zaringenſi ideo omnia iura, quae aliis Ducibus in provinciis ſuis competunt, tribueret, quod Ducis nomen, ſed ſine ducatu, retinuiſset, idque tranſmiſiſset ad poſteros? Quin III. ſi a iuribus eminentioribus, quibus quis in

(1) G. G. Leibnit. *Praef. Script. rer. Brunſuic. Tom. I. ad Scriptores LV. & ſequ.*

(2) Otto Friſingenſ. *Vit. Fridrici I. Lib. I. Cap. VIIII.* — Bertoldus Conſtantienſis *ad ann. MLXXXXII. apud* Urſtiſ. *Script. rer. Germ. Tom. I. p.* 423. & *p.* 367.

in terris ſuis gaudet, ad dignitatem ipſam liceret argumentum ducere, nullus fere eſset ex nobilibus Imperii immediatis, quin Comitis, nullus fere ex Comitibus immediatis, quin Principis titulum ſibi iure vindicaret, quum iſtorum plerique in ſuis quiſque terris iiſdem, quibus Comites hi, non aliis fere, quam Principes, iuribus ac praerogativis perfruantur. Quod quum abſonum ſit: ratiocinationem etiam, qua a iuribus ad dignitatem argumentum ducitur, abſonam eſse oportet. Ex quibus omnibus manifeſto ſequitur, ut privilegia illa, quae ſupra recenſuimus, Vicariatus Imperialis dignitatem non involvant, niſi ea in diplomatibus diſerte expreſsa ſit, nec quiſquam ſibi eam, niſi diſertis verbis demandatam, poſſit iure vindicare.

QUAESTIO III.

§. LV. Dum porro quaeritur, *an Vicarii Imperialis dignitas expreſſe collata poteſtatem legum ferendarum ipſo iure conferat?* itemque *an ſaltim adiecta clauſula, qua Imperatores transferunt ius exercendi ea omnia in feudis, quae Imperatoribus in S. R. Imperii ditione exercere licet?* facere non poſſumus, quin utrumque, ex principiis ſupra explicatis, negemus. Obſtare quidem non nulla huic deciſioni noſtrae videri poſsent: ſed ea omnia ita comparata ſunt, ut, re paullo accuratius expenſa, ſua ſponte corruant. Primo enim obiici ab aliquo poſset, I. Vicarios, ceu ex ipſo eorum nomine pateat, terris quibuſdam vice ſacra cum imperio praeeſse, nihil autem videri naturae huius dignitatis convenientius, quam ut vicarii ea iura, quae

man-

Digitized by Google

mandanti competunt, adeoque & ius leges ferendi, exerceant; II. Bartolum alioſque eiuſdem auctoritatis iureconſultos magiſtratibus omnibus, qui iuriſdictionem habeant, ſtatuta liberrime condendi poteſtatem tribuiſse, & ne ſuperioris quidem confirmationem ad eorum validitatem requiſiviſse, iam ſupra (§. L.) diximus [1]: eam vero ſententiam eo firmiore veluti talo ſtare dixeris, quod illi ipſae Romanorum leges ſuffragari videantur, ex quibus quippe conſtat, *quod ipſe ſibi populus ius conſtituat*, *id eſſe ipſius proprium civitatis*, *vocarique ius civile*, *quaſi ius proprium ipſius civitatis*: & mancipium quoque aliquod *lege ſua privilegium habere*, *legeſque ſibi ſuo arbitrio ferre poſſe* [2]. Quum ergo, & Vicarii Imperiales eum in finem conſtituantur, ut cum ampliſſima facultate ius dicant per provinciam aliquam, vel civitatis cuiuſdam territorium: quis iis dubium redderet ius ferendi leges, etiam contra ius commune valituras? Denique III. ea de re eo minus dubitandum eſse videbitur, ſi quando diplomati inſerta ſit clauſula, quae Vicariis *omnia*, *quae Imperatoribus ubicumque facere licet*, permittit. Tunc enim iam ſupra obſervavimus, ea omnia conceſsa eſse videri Vicariis, quae ſpeciatim atque expreſse non ſint excepta. Quandoquidem vero ius ferendi leges nuſquam exceptum legimus: illo recte uti poſse Vicarios, merito ſtatuendum eſse videtur. Auguſtiſſimos enim Imperatores

(1) Bartolus *ad l. 9. D. de iuſt. & iur.* -- Panormitanus *ad Cap. quae in Eccleſiam X. de conſtitution.* -- Colerus *Proceſſ. exſequut. Part. I. Cap. III. n.* 12.

(2) *L. 9. D. de iuſtit. & iur.* -- *L. 37. D. de rebus auctoritate iud. poſſid.* -- *L. 21. §. ult. D. ad legem municipal. L. ult. D. de decret. ab. ord. fac.*

Digitized by Google

tores in terris Italiae immediatis ita gaudere legiſlatoria poteſtate, ut ne Statuum quidem conſenſu, & conſilio indigeant, & ne in comitiis quidem Roncalienſibus, quae olim haberi ſolebant, Ordinum ſuffragia legum ferendarum cauſsa adhibita eſse, tot veterum teſtimoniis conſtat, tamque luculenter demonſtratum eſt a viris doctiſſimis, ut actum agere nolimus (1). Atque ita probabile admodum videri poſset, dominis Vicariis & ex ipſa dignitatis iſtius ratione, & ob clauſulam illam generalem, poteſtatem legiſlatoriam non eſse denegandam.

§. LVI. Enimvero I. quum ſupra tot tabulas publicas, quibus illa diguitas datur, ex *Petro de Vineis*, *Marteneo*, *Leibnitio*, *Frebero*, *Oderico Raynaldo*, *Chriſtiano Lunigio*, aliiſque ſcriptoribus attulerimus: nullum tamen nobis ſuccurrit exemplum, quo Vicariis poteſtas ferendi leges conferatur. Tam luculentum vero ius maieſtatis, ſi illud cum aliis iuribus eſset communicatum, omiſsuros Imperatores, vel id omitti paſsuros fuiſse ipſos Vicarios, quis credat? maxime, quum alia multo minoris momenti tam ſollicite, atque accurate recenſeri, animadvertamus.

(1) Otto, & Acerbus Morenae *de rebus Laudenſibus apud* Leibnitium *Tom. I. Script. rer. Brunſu. p.* 818. -- Guntherus *in Ligurino Lib. VIII. v.* 590. *ſeq. apud* Reuber. *Script. rer. Germanicar. p.* 671. -- Otto a S. Blaſio *Cap. XIIII. apud* Urſtiſ. *Script. rer. Germ. Tom. I. p.* 202. -- Conradus Samuel Schurzfleiſchius *de iure Auguſt. in* Ital. §. *VIIII. & X.* -- *Auctor Conſultationis politicae, concernentis quaeſtionem, utrum Caeſari & Imperio Romano Germanico expediat, Italiae Ducibus Principibuſque ſuffragium ac ſeſſionem in comitiis indulgere, apud* Fridric. Ludov. *Nobilem Dom. de* Berger *in Adpendice Animadverſionum ad* Henr. de Coccecii *Iuris publ. prudent. p.* 500. & 501.

vertamus. In diplomate certe vicariatus, a Carolo IV. Imp. anno MCCCLV. Collegio Antianorum Piſano conceſſo exprimuntur *merum, & mixtum imperium, gladii poteſtas plena, & libera, & omnimoda iuriſdictio, ius adpellationes in quibus libet cauſſis criminalibus, & civilibus, ad Imperialis Maieſtatis audientiam interpoſitas, recipiendi, balias, & poteſtates ſeu officiales in civitatibus conſtituendi*, denique *onera perſonalia, realia, & mixta, vectigalia, gabellas, multas, bona publicata, & fiſco addicta, exigendi* (1). Et haec ſimiliaque iura etiam in aliis eiuſdem generis tabulis publicis recenſeri obſervamus (2). In nullo vero diplomate, quod meminerim, poteſtas ferendi leges datur Vicariis, nec ſcio ullas eius generis tabulas laudari, praeterquam illas, quibus Sigiſmundus Rex anno MCCCCXII. Ludovico Sabaudo in provincia Pedemontana, & anno MCCCCXXXIIII. Brunorio de Scala in civitatibus Veronenſi, & Vicentina, nec non in vicinis territoriis poteſtatem vicariam concedit. Cum enim permulta alia, admodum ſingularia, in his diplomatibus indulgentur Ludovico, & Brunorio, veluti ius *collectas, & datia conſueta, onera realia, perſonalia, & mixta, nec non omnes cenſus, reditus, iura proventus, emolumenta, ſubventiones, conductus, telonia, & pedagia exigendi, & recipiendi, poenas & multas ratione praevia imponendi, levandi, & ex cauſſis rationabilibus augmentandi, minuendi, remittendi: Iudaeos, Camarae Imperialis ſervos acceptandi, defendendi, & tuendi iura Caeſarea, monetas percutiendi, ferias indicendi,*

O

(1) Chriſt. Lunig. *Cod. dipl. Ital. Tom. I. p.* 1085. *ſequ.*
(2) Lunig. *ibid. Tom. I. p.* 1074. *p.* 2148. *ſequ. & Tom. II. p.* 555. *ſequ. p.* 2215. *ſequ.*

Digitized by Google

cendi, *denique rebelles S. Romani Imperii perſequendi*, *& puniendi*; tum in primis illi datur facultas *decreta*, *ſtatuta*, *& proviſiones in praedictis omnibus*, *& quolibet praedictorum faciendi*, *de novo corrigendi*, *iam facta tollendi*, *ſemel ac pluries*, *& toties*, *quoties oportunum fuerit*, *& ordo tractaverit*, *& dictaverit rationis* (1). Sed praeterquam, quod haec, tamquam ſingulari privilegio conceſſa, ad exemplum non trahenda ſunt (2): nemo etiam temere perſuaderi ſibi patietur, haec intelligenda eſſe de ſtatutis, & legibus, iuri communi derogantibus: quum res ipſa doceat, de eiuſmodi edictis, *quae iuris communis exſequendi cauſſa Vicarius iſte ſit propoſiturus*, loqui Sigiſmundum Regem, id eſt, de talibus decretis, ſtatutis, & proviſionibus, qualia & illuſtres Camarae Imperii Adſeſſores, & Senatus aulicus Auguſtiſſimi Imp. ſub nomine *decretorum generalium* (*gemeiner Beſcheide*,) edere ſolent, non quaſi novas leges ferre, vel iuri communi derogare velint, (quam facultatem curiis iſtis numquam dedit Imperium,) ſed ut modum ius rite perſequendi praeſcribant, & abuſus varios, qui contra leges invaluerint, tollant (3). Id unicum, nihilque praeterea, conceſſum eſſe Brunorio de Scala, II. ex eo intelligitur, quod Sigiſmundus Rex illi diſertis verbis praeſcribit, ut reos condemnet *iuxta ſacrorum Canonum*, *Legum*, *ac Iurium communium ſacratiſſimas ſanctiones*,

(1) Guichenon *Hiſtoire de Savoye*, *Lib. VI. p.* 129. -- Leibnit. *Cod. dipl. iur. gent. P. I. p.* 305. -- Lunig. *ibid. Tom. I. p.* 503.

(2) *L.* 1. §. 2. *D. de conſtit. princ.*

(3) Ge. Melch. *de* Ludolph. *de iure Camaral. p.* 317. -- Io. Chriſt. Uffenbachius *de conſilio aulico*, *Cap. XVII. ſect. I. p.* 241. *ſequ.*

Digitized by Google

ſtiones, *prout ſecundum ritum*, *& terrae conſuetudinem*, *municipalia iura*, *& Statuta perſuaſerint*: itemque, *ut cauſſas decidat tam ſecundum iura communia*, *quam municipalia* (1). Accedit III. quod & aliis Vicariis ſemper eam legem dictam eſſe reperimus, ut iura communia illis pro norma in iudicando eſſent. Ut enim iam ex §. XXXXVIII. non repetam reſcriptum Fridrici II. Imp., quo Vicarius Eſtulanus *in leges iurare* iuſſus eſt (2): rem omnem conficere videtur teſtimonium poëtae elegantiſſimi, ſaeculi duodecimi, *Guntheri*, qui ubi inter reliqua Fridrici I. Imp. geſta etiam conſtitutionem poteſtatum, ac Vicariorum per Italiae civitates refert, iſtius dignitatis formulam ita deſcribit (3):

Sed quia tam multis finem dare curia praeſens
Non poterat cauſſis: placuit ſatis utile quiddam
Ingenuo pulcrumque duci, *cunctaſque per urbes*
Edoctos in iure *viros*, *verique ſequaces*
Impoſuit, *medio qui cuncta negotia* Iuris
Limite diſcuterent, *nec eos ex urbibus iiſdem*,
Ne favor aut odium ſenſus corrumpat eorum,
Sed magis, *ex aliis ad munera pulcra vocatos*,
Elegit, *ſacra vel delegavit ab aula*.

Quum ergo Vicariis in nullo omnino diplomate poteſtatem leges ferendi datam eſſe obſervemus, & ne illae quidem, quae eam in rem citari ſolent, Sigiſmundi tabulae huius eminentioris iuris faciant

O 2 men-

(1) Lunig. *ibid. Tom. I. p.* 503.
(2) Petr. *de* Vineis *Lib. V. Epiſt. C. & CI.*
(3) Guntherus *in Ligurino Lib. VIII. v.* 158. *ſequ. apud* Reuber. *Script. rer. Germ. p.* 668.

Digitized by Google

mentionem, immo potius Vicarii ipſi in leges iurare, & cauſſas ad iuris communis normam decidere iubeantur: fruſtra omnino ſunt, qui ex ſola vicariatus dignitate legiſlatoriam poteſtatem ſua ſponte fluere, contendunt.

§. LVII. Quae ſupra pro legiſlatoria Vicariorum poteſtate attulimus, argumenta facile ſolventur, ſi ipſa vicariae iſtius poteſtatis natura, atque indoles paullo accuratius conſideretur. Nam I. verum quidem eſt, Vicarios vice Imperatoris praeeſſe certis civitatibus vel provinciis: nec minus certum videtur, eoſdem iura non propria, ſed Auguſtiſſimi Imperatoris, explicare: at iis omnium maieſtatis iurium exercitium demandatum eſſe, nemo, credo, dixerit, niſi qui Vicarios etiam Duces, & Comites creare, comitiaque indicere poſſe, credit: quo nihil profecto fingi poſſet abſurdius. Si ergo iura maieſtatis non omnia exercent: ex mandati profecto natura ſequitur, ut ea tantum, quae ipſis expreſſe delegata ſunt, poſſint exercere, adeoque poteſtatem legiſlatoriam, in nullo plane diplomate diſertis verbis expreſſam, ſine idonea cauſſa ſibi adrogent. Deinde II. quam abſona ſit *Bartoli*, & *Bartoliſtarum* ſententia de coniuncta cum iuriſdictione facultate ſtatuta condendi, iam ſupra oſtendimus. Et ſane eius opinionis vanitas nullo luculentiore argumento demonſtrari poſſe videtur, quam ſi lectorem tantum ad ipſorum textuum, quibus eam doctrinam ſuperſtruunt, lectionem remittamus. In *l. 9. D. de iuſt. & iure*, ius, quod ſibi quiſque populus conſtituit, id eius populi ius proprium eſſe, & iuris civilis nomine venire dicitur. Quid vero haec ad iuriſdictionem? Non ſane de magiſtratibus, qui vice Principis

cipis

Digitized by Google

cipis populo cuidam ius dicunt, loquitur iureconſultus, ſed de ipſis populis, & quidem de liberis, quos ſibi leges ferre poſſe, nemo negat, non ideo quod iuriſdictione gaudent, ſed quod ab omni imperio liberi, atque ἀνυπεύθυνοι. Reliqui textus ad legem municipalem pertinent. Hanc vero quodlibet municipium non ſibi ipſum ferebat, ſed a Principe populove Romano, vel eorum mandata a Praeſidibus, & Praefectis conditam accipiebat. Unde apud veteres paſſim occurrunt *lex Iulia municipalis*, *leges Pompeiae*, *Claudiae*, *Rupiliae*, *Corneliae municipales*, & ſimiles (1). Et fingamus, verum eſſe, quod tamen falſiſſimum eſſe novimus, apud Romanos cum iuriſdictione ſemper coniunctam fuiſſe facultatem ferendi leges: quid haec ad S. Rom. Imperium, & ad Vicariorum Italicorum officium? Fuere illa tempora, quibus ius publicum umbraticis doctoribus ex legibus Romanis videbatur hauriendum. Hodie aliter ſapiunt homines, eoſque Anticyras navigare iubent, qui formam ac iura Imperii noſtri ex legibus Iuſtinianeis aeſtimanda cenſent. Bene ICtus Lipſienſium celeberrimus, *Michael Henricus Gribnerus: in iure publico nullus eſſe debebat Iuſtinianei iuris uſus. Omnis eius uſus ad abuſum pertinet. Neque enim dum ius Romanorum admiſerunt Principes, & Ordines Imperii, ſtatum publicum per eas immutari, aut iura reip. ſuae ad normam hanc revocari voluerunt*. Et paucis interiectis,

(1) Fabrettus *Inſcr. Cap. VI. n.* 93. 159. 160. -- Cicero *ad diverſ. Lib. VI. Epiſt.* XVIIII. *Verr. II. Cap.* XIII. & XXXXVIIII. -- Plin. *Lib.* X. *Epiſt.* LXXXIII. CXIII. & CXV. -- Ever. Otto. *de aedilib. colon. & municip. Cap.* I. *p.* 32. & *praefat. Theſauri iuris Tom. II. praemiſſa, p.* 9. *ſequ.*

riectis: *abuſus ille graviſſimus, & ſummo cum Principum Imperii praeiudicio coniunctus fuit, quo olim legicrepae iureconſulti omnia Imperii noſtri iura ad Iuſtinianeas leges exigere, & priſcum veluti rei publicae Romanae ſtatum Imperio Romano obtrudere conati ſunt. Vix dici poteſt, quanta damna dederit libertati, & iuribus Principum illa perſuaſio.* Quae deinde pluribus exſequitur, atque exemplis quam plurimis illuſtrat vir doctiſſimus (1). Denique III. non magis ad rem facit clauſula illa generalis, qua omnia indulgentur Vicariis, *quae ipſis Imperatoribus facere liceat.* Ea enim intelligenda eſt civiliter, de iuribus, quae per vicarios exerceri ſolent. Alias enim, uti iam monui, Vicarii etiam Duces, & Comites creare, comitia indicere, proſcribere, ſimiliaque iura eminentiſſima explicare poſſent, quod tamen ſe non poſſe, facile illi, uti opinor, largientur. Atqui numquam Imperatores per Vicarios explicaſſe poteſtatem legislatoriam, iam per inductionem probatum eſt: ac proinde nec ſub clauſula iſta, quantumvis generali, latitare poteſtatem legiſlatoriam, certiſſimum eſt.

QUAESTIO IV.

§. LVIII. Quarto quaeritur, *quid operentur clauſulae ſupra adductae, elargientes vaſallis, quidquid iure, vel conſuetudine Vicarii Imperialis dignitate inſignitis competere poſſit, & an ſpeciatim illae legum ferendarum poteſtatem involuere videan-*

(1) Gribner *de praeiudic. Principum Imperii ex abuſu iuris Iuſtinianei, Tom. I. Opuſcul. ſect. V. Cap. I. §. I. IIII. & V. p. 149. & 151. ſequ.*

Digitized by Google

dicantur? Qua quaeſtione paullo accuratius expenſa, in eam quis adduci poſſet ſententiam, quod illae clauſulae non modo ius ferendarum legum, verum etiam reliqua ſublimiora territorii iura, ſeu regalia, ambitu ſuo comprehendant. Nam clauſulis illis omnia tribui animadvertimus Vicariis, quae primo de *iure*, ac deinde de *conſuetudine* competunt Vicariis perpetuis. I. Quid *iure* illis competat, ex ipſo iure Romano diſci voluiſſe videntur Imperatores, dum in quibuſdam diplomatibus concedunt *libertates*, *atque alias quaſcumque praerogativas*, *& emolumenta*, *tum ſcripta in Corpore iuris*, *quam non*. In *Corpore iuris* autem ſingularis exſtat titulus *de officio Vicarii*, ex quo conſtat, vicarios fuiſſe viros ſpectabiles, qui pro praefectis urbi, vel praetorio, in urbem, vel dioeceſin aliquam plurium provinciarum, mittebantur, & pari cum ipſis praefectis poteſtate praediti, eorum vicem gerere, aut vicariam praefecturam agere, immo & vice praefectorum ex mandato Principis cognoſcere dicebantur (1). Qui enim vices agebant praefectorum praetorio, propriam habebant iuriſdictionem, datam ſcilicet a principe, & *vice ſacra indicabant*, ſicuti praefecti praetorio, & militari habitu, ut Caſſiodorus in formula Vicarii urbis Romae oſtendit, utebantur, nimirum ne viderentur eſſe privati, & pagani (2). Quemadmodum ergo ſum-

(1) *L. 1. D. de legat. III. -- L. 6. §. 2. C. de modo mulctarum, quae a iudic. inflig. ubi* Cuiacius *in Libros IIII. priores Codicis Tom. X. Operum p. 850. edict. Neap. recte legit: Qui vice veſtra adminiſtrationis gubernacula ſuſceperint.*
(2) Caſsiodor. *Var. Lib. VI. Cap. XV. --* Cuiac. *ibidem Tom. X. Op. p. 850. & Paratitl. Cod. Lib. I. tit. XXXVIII. p. 75. Tom. II. denique ad L. 4. C. de annon. & tribut. Tom. II. Op. p. 671. --* Phil. Berterius *Pithanon Diatriba I. Cap. VIII. in Theſauro iur. civil. Tom. IIII. p. 837.*

Digitized by Google

ſummum erat praefectorum per omnes dioerceſes & provincias, illorum fidei commiſſas: imperium, & hinc civilem, & militarem annonam curabant, mandata, (quod alias proprium principum munus eſt,) rectoribus provinciarum dabant, iudices inſtituebant, ac removebant, & vice denique ſacra iudicabant (1): ita & pari poteſtate praediti vicarii pluribus praeerant provinciis, ſeu toti dioeceſi (2), civilis ac militaris annonae curam gerebant, eoque fine *imminebant provinciarum Iudicibus, ſeu Rectoribus* (3), iidem provinciarum praeſidibus mandata dabant, *oppreſſoſque ab iiſdem vindicabant* (4). Denique iudices dabant, adpellationes recipiebant, de earumque cauſſis cognoſcebant, ac proinde vice ſacra iudicare dicebantur, adeo ut in marmore antiquo occurrat *Ageſilaus Aedeſius V. C. cauſſarum non ignobilis Affricani Tribunalis Orator Vicarius Praefector. per Hiſpanias Vic. S. I. C.* id eſt, *vice ſacra iudicans* (5). Quemadmodum porro praefecti praetorio edicta, vel generales formas, ſeu typos, proponere ſolebant (6), quae deinde in ſingulares ἐπαρχικῶν libros collecta, ubique paene per dioeceſes, & provincias eamdem cum legibus auctoritatem conſequeban-

(1) Phil. Berter. *ibid. p.* 836. -- Iac. Gothofredus *in Notit. dignit. ſubiuncta Codici Theodoſiano Tom. VI. p.* 317. *ſequ.*
(2) *L. 6. princ. Cod. Th. de iis, quae adminiſtr. -- L. 4. C. Th. de proximis. -- L. 33. C. Th. de curſu publ.*
(3) *L. un. C. Th. de offic. vicarii. -- L. 1. fin. C. Th. de ann. & trib. -- L. 3. C. de erogat. milit. annon.*
(4) *L. un. C. Th. ſi quacumque praedit. poteſt.*
(5) *L. 1. C. de offic. vicar. -- L. 16. C. Th. de adpellat.* -- Caſſiodor. *Var. Lib. VI. Cap. XV.* -- Gruter. *Inſcript. p.* 28.
(6) *Nov. CLXV. in rubr. -- L. 16. C. de iudic. -- L. 27. C. de fideiuſſ.*

bantur (1): ita non minus hac auctoritate uſi videntur Vicarii. Nam in *Novella CLXVII. Cuiacius* legit: τύπος Βύσσȣ τȣ̃ ἐνδοξατάτȣ ὑπάρχȣ, *forma glorioſi Vicarii*. Quae ſi vera eſt lectio, Hyparchos, vel Vicarios praefectorum, non minus, quam ipſos praefectos propoſuiſſe edicta, atque adeo novas leges condidiſſe, dicendum eſt. Iam ſi & Italicis praefectis eae praerogativae omnes, quae in Corpore iuris ſcriptae ſunt, competunt: quis iiſdem negaret vel iuriſdictionem, vel poteſtatem leges ferendi qualeſcumque, etiam iuri communi derogantes? Deinde II. quum in tam multis, quas ſupra laudavimus, tabulis ea quoque omnia, quae *de conſuetudine* Vicariis competere ſolent, attribui videamus Vicariis Italicis, conſuetudo vero ex actuum vetuſtate, ac frequentia probanda ſit: quaenam ſunt iura tam ſublimia, quae a Vicariis explicata eſſe, ex diplomatibus demonſtrari nequeat? Sane illis demandari animadvertimus cuſtodiam pacis, & concordiae (2); ius praeſidiatus, merum imperium, ſeu gladii poteſtatem (3):

P iuriſdi-

(1) *L. 2. C. de offic. praef. Orient. & Illyr.* -- Phil. Berter. *ibid. p.* 837. -- Cuiac. *Lib. VI. Obſ. Cap.* X. *Et hinc ex libris* ἐπαρχικῶν *quaedam paſſim citari animadvertimus non modo a* Conſtantino Harmenopulo *in Promtuario Lib. II. tit. XXV.* §. 12. *&* Theod. Balſamone *Nomocanon. tit. VIII. Cap. XIII. verum etiam in libris Baſilicῶν,* [§. *XXIV.*] *Quin ipſae Novellae CLXV. & ſequentes nihil aliud ſunt quam formae generales, ſeu edicta praefectoria. Vid.* Cuiac. *ad Novell. CLXV. & ſequ.* Anton. Auguſtin. *Paratitl. Novell. ſub fin.*

(2) Petr. de Vin. *Lib. V. Epiſt. I.*, *Lib. III. Epiſt. VIIII. Lib. VI. Epiſt.* XXII.

(3) Petr. de Vin. *Lib. V. Epiſt. I. & Lib. III. Epiſt. VIIII.* Edm. Martene *Tom. I. p.* 1192. -- Leibnit. *Cod. iur. gent. dipl. p.* 127. *&* 128. -- Lunig. *Cod. dipl. Ital. Tom. I. p.* 1085. *& Tom. II. p.* 556.

Digitized by Google

iuriſdictionem omnimodam (1) : ius interponendi decreta ſuper tranſactionibus, & alienationibus, tutores dandi, in integrum reſtituendi, adpellationes recipiendi (2) : immo, & collectas, vectigalia, bona publicata, mulctas colligendi, & aliquando ſibi vindicandi (3) : iudices, & officiales conſtituendi (4) : monetas cudendi, Iudaeos recipiendi, ferias indicendi, decreta, ſtatuta, & proviſiones faciendi, corrigendique, & abrogandi (5) : exercitum colligendi, & rebelles S. R. Imperii perſequendi, eoſque feudis, & iuribus privandi (6) : quin generatim omnia regalia, quae Imperatoris ſunt, exercendi (7): Quis ergo neget, omnia ſuperioritatis iura, adeoque & leges ferendi poteſtatem, de conſuetudine competere Vicariis Italicis; quum nullum fere ius, & regale ſit, cuius exercitium illis non fuerit ab Auguſtiſſimis Imperatoribus tot diplomatibus conceſſum?

§. LVIIII. Nihilominus tamen Vicarii dignitatem in ſe non alia iura, quam quae in ipſis diplomatibus ſpeciatim exprimuntur, complecti, adeoque leges ferendi poteſtatem cum illa minime omnium coniunctam eſſe, ſtatuimus. Nam I. iam ſupra oſtenſum

(1) Petr. de Vin. *ibid.* -- Edm. Martene *ibid.* -- Leibnit. *ibid.* Lunig. *ibid.*
(2) Petr. de Vin. *Lib. V. Ep. I.* -- Lunig. *Tom. I. p.* 1086.
(3) Martene *Tom. I. Anecdot. p.* 1192. -- Lunig. *Tom. I. p.* 1086. *p.* 503. 557.
(4) Martene *ibid.* -- Leibnit. *ibid. p.* 127. 128. -- Lunig. *Tom. I. p.* 1086.
(5) Lunig. *ibid. Tom. I. p.* 503.
(6) Petr. de Vin. *Lib. II. Epiſt. LVII.* -- Lunig. *Tom. I. p.* 503. Martene *Anecdot. Tom. I. p.* 1192.
(7) Lunig. *ibid. Tom. I. p.* 1086.

Digitized by Google

ſum eſt, Vicarium in ſe eſſe procuratorem, vel mandatarium, cui non aliud ius eſt, quam quod ipſi ſpeciatim delegavit dominus. Deinde II. quamvis plerumque verborum tam prodigi fuerint, qui medio aevo Imperatorum Cancellariae praefuerunt, ut & ea, quae ſpeciale alioquin mandatum requirunt, a Vicariis explicari poſſe permitterent (1): tamen huiuſmodi clauſula nihil aliud operatur, quam ut mandatum, quod vocant, *cum libera*, datum eſſe, intelligatur. Id vero accuratiores Iureconſulti non plus poteſtatis mandatario dare docent, quam mandatum generale ſine libera, quandoquidem & qui cum libera mandatum accipit, non plus poteſt, quam procurator univerſalis, nec magis quidquam, quod in praeiudicium domini vergere poſſet, ſine ſpeciali mandato deſiderat, peragere poteſt, quam is, cui ſine libera aliquid mandatum eſt (2). Et quamvis huic doctrinae vulgo iuris Pontificii ſanctionem opponant, qua mandato huiuſmodi cum libera plus, quam iure civili, tribuitur (3): nemo tamen dixerit, huius iuris interpretationi ſtandum eſſe in cauſſis ad ius publicum Imperii pertinentibus. Si vero per tale mandatum nihil poteſtatis conceditur mandatario, quam quod domini utilitas, ipſaque exigit neceſſitas, nec ideo mandatario quidquam, quod domino praeiudicio eſſe poſſet, agere licet: quis legiſlatoriam poteſtatem, aliaque iura eminentiora eo

p 2 ipſo

(1) Edm. Martene *Anecdot. p.* 1192.

(2) *L. 60. D. de procurat.* -- Iac. Cuiacius *ad l. 4. D. de rebus credit.* -- Meier. *Colleg. iur. Argentorat. tit. de procur.* §. *VII.* Franzk. *ad Pandect. tit. mandati n.* 63. -- Lauterb. *Colleg. theoret. pract. Lib. III. tit. III.* §. *VIII.*

(3) *Cap. 4. de procurat. in 6.*

ipſo Vicariis conceſſa eſſe, dicat? Eſt illa leges ferendi facultas ius maieſtatis praecipuum, quo in alium tranſlato, tantum maieſtati decedit, quantum in alium tranſlatum eſt. Quum vero ne privatus quidem ſuum iactare velle praeſumatur: quis id praeſumeret de ſummis imperantibus, iurium ſuorum pro eo, ac decet, ſervantiſſimis? Praeterea III. tantum ſemper poteſtatis generali etiam mandato in mandatarium tranſlatum eſſe cenſetur, quantum exigit negotii, quod peragendum eſt, indoles (1). Vicariatus vero nemo eam eſſe naturam, atque indolem exiſtimabit, ut ſine legiſlatoria poteſtate conſiſtere nequeat. Non minus enim vice ſacra iudicare dicitur, qui ſecundum ius commune cauſſas definit, quam qui ipſe ſibi leges, quas ſequatur, praeſcribit? Denique IIII. quum Vicarii vere ſint procuratores Caeſarum, uti eos ipſe vocat Rudolphus I. Rex Romanorum in diplomate, Ioanni de Aveſuis, Comiti Hannoyae dato (2): etiam inde nobis iure colligere videmur, illos ſibi non plus adrogare poſſe, quam eorum mandatis continetur. Sane quibuſdam procuratoribus Caeſarum, teſte Dione Caſſio, initio nihil aliud datum fuerat negotii, quam ut reditus Caeſarum colligerent, & de controverſiis fiſcalibus in foro ſecundum leges ius dicerent (3): aliis deinde multo plus indultum, puta ut ius gladii haberent, & in facinoroſos animadverterent, quali cum imperio & Pontium Pilatum Iudeae, & alios aliis provinciis

(1) *L. 63. D. de Procurat.*
(2) *Apud* Edm. Martene *Anecdot. Tom. I. p.* 1196.
(3) Dio Caſsius *Hiſt. Lib. LVII. p.* 619. -- *L. 23. §. 1. D. de adpellat.* -- *L. 2. C. de modo mulct.* -- *L. 9. pr. D. de offic. procoſ.*

vinciis praefuiſſe novimus (1). Quemadmodum vero hi poſteriores ob ampliora mandata provinciis eadem poteſtate praeerant, qua praeſides, & hinc *vice praeſidum agere*, *vice praeſidum fungi*, *vicem praeſidum tueri*, dicebantur (2): ita illi dignum animadverſione facinus committere videbantur, ſi quando iurisdictionis ſuae pomoeria ultra, quam par erat, extendere, & ius praetorium adfectare conarentur. Satis enim notum eſt, poenas ideo dediſſe Lucillium Capitonem, Aſiae procuratorem, quod ſibi ius praetorium uſurpaſſet (3). Adeo ſtricti iuris erat procuratorum iſtorum officium, ut vel minimum quidquam ultra id, quod mandatis continebatur, agere piaculum videretur. Qui vero plus liceret Vicariis Italicis, procuratoribus iſtis Caeſarum ſimillimis, puta, ut iura etiam, in diplomatibus, & mandatis non expreſſa, ſuo arbitrio explicare, & quod nullus umquam Caeſarum procurator ſibi uſurpavit, leges figere, ac refigere iniuſſu Caeſarum, poſſint?

§. LX. Quod ad rationes dubitandi ſupra adlatas (§. LVIII.) attinet: dominis Vicariis, ad iura ſublimiora, ipſamque poteſtatem legislatoriam, adſpirantibus, nec *Iura*, nec *conſuetudo* ſuffragantur. Nam I. ea, quae de officio Vicarii ex *iure Romano* decerpſimus, ad ius pnblicum Romanorum, quod cum hodierna S. Rom. Imperii forma nihil commune habet,

(1) Cuiac. *Lib. XVIIII. Obſ. Cap. XIII.* -- Lipſius *Excurſ. ad* Taciti *Annal. Lib. XII. litt. B.* -- Corn. *van* Bynkershoek *Obſerv. Lib. II. Cap. XX.* -- *Cardinalis* Noris *Cenotaph. Piſan. Diſſ. II. Cap. XVI, p.* 290.

(2) *L. 4. C. ad leg. Fabiam de plagiar. -- L. 2. C. de poen. -- L. 1. C. de pedan. iud. -- L. 3. C. ubi cauſſae fiſc.*

(3) Svetonius *Claud. Cap. XII.* -- Tacit. *Annal. Lib. XII. Cap. LX.* -- Dio Caſs. *Lib. LVII. p.* 619.

Digitized by Google

bet, pertinent, ac proinde ex eo nullum, quod ſtringat, argumentum duci poteſt. Deinde permultum inter Vicarios Italicos, & iſtos praefectorios intereſt: nec fortaſſis domini Vicarii Italici ſeſe his aequiparari aequo animo ferant; quum ipſi Auguſtiſſimorum Imperatorum, veteres illi, tametſi ab Imperatoribus conſtituti, tamen non Caeſarum, ſed praefectorum praetorio, vice fungerentur (1). Praeterea, quamvis Imperatores in uno, alterove diplomate praerogativas Vicariorum, in Corpore iuris ſcriptas, commemorent: non tamen ſequitur, ut Vicarios illos praefectorum, eorumque iura habuerint ante oculos, ſed eos potius de procuratoribus Caeſarum cogitaſſe, eo eſt probabilius, quo ad hos propius accedunt Vicarii Italici, quippe eo nomine, uti ſupra demonſtravimus, diſertis verbis a Rudolpho I. Rege Rom. adpellati. Denique ſive de procuratoribus Caeſarum, ſive de Vicariis iſtis praefectorum ſenſerint Imperatores: neutris umquam in mentem venit opinio, quod leges ferre, iurique communi ſanctionibus ſuis derogare poſſint, quamvis fortaſſis utrique ſe leges exſequuturos, edictis denunciare ſoliti ſint. Id ſaltim certum eſt, Byſſum iſtum, cuius forme generalis in *Nov. CLXV.* exſtat, non fuiſſe Vicarium, ſed unum ex Praefectis praetorio, quos edicta, non tamen iuri communi derogantia, propoſuiſſe, nemo negat. Neque obſtat, eum, ſi Cuiacii coniecturam ſequimur, dictum eſſe ὕπαρχον. Eo enim nomine ipſos Praefectos praetorio non minus, quam eorum Vicarios, veniſſe iam obſervavit ſaepe laudatus *Philippus Perterius* (2). Eam
vero

(1) *L. 1. D. de legat. III.*
(2) *Pithan. Diatrib. I. Cap. VIII. p. 837.*

Digitized by Google

vero vocabuli notionem ſolam hic habere locum, probari poteſt ex titulo *ἐνδοξοτάτου*, vel *glorioſi*, quem proprium fuiſſe Praefectorum praetorio, alibi ex inſtituto oſtendimus (1). Quamobrem nihil ad rem facere omnia, quae ex iure Romano pro Vicariis adferri fortaſſis poſſent, facile unuſquiſque intelligit. Nec magis II. *Conſuetudinem* pro ſe adlegare poſſunt domini Vicarii, quippe quae non ex variis, ſed uniformibus actibus, eorumque diuturnitate, ac frequentia, probanda eſt (2). Iam ex ipſis, quae in dubitandi rationibus adduximus, diplomatibus liquido probatur, nullam umquam fuiſſe aequalem, & uniformem per omnia Vicariatus formulam, ſed huic perſonae haec; illi alia; huic pauca; illi plura iura ab Imperatoribus conceſſa eſſe, adeoque vix certo, liquidoque aliud conſtitui poſſe ius Vicariorum, quam ſolam curam pacis, & concordiae, nec non iuriſdictionem, vice ſacra explicandam, tum contentioſam, tum voluntariam. Haec ſola iura in omnibus Vicariorum diplomatibus occurrunt; adeo, ut & iis extra ordinem quid conceſſum videretur, qui ſimul participes fierent meri imperii, vel iuris gladii (3). Itaque de *iure*, & *conſuetudine* Vicariis Italicis nihil competit praeter curam pacis, & concordiae, nec non

(1) *In Commentario ad Legem Iuliam, & Papiam Lib. II. Cap. II. §. 2. p. 143.*

(2) *L. 33. D. de legib. -- L. 35. D. eod. -- L. 1. C. quae ſit longa conſu.* -- Io. Schilter. *Prax. iur. Rom. Exerc. II.* §. 20. *ſequ.*

(3) Petr. de Vin. *Lib. V. Epiſt. I.* Nec tamen te ſola Vicarii poteſtate volumus eſſe contentum, licet ſolo Vicarii nomine cenſearis: ſed tibi uſque ad aliud mandatum noſtrum *adiicimus* officium praeſidiatus, concedentes tibi *merum*, & *purum Imperium*, & *gladii* poteſtatem.

non iuriſdictionem, Imperatorum vice tum in prima, tum in ſecunda, atque inferiore inſtantia, explicandam. Reliqua iura omnia, (inter quae tamen legiſlatoria poteſtas plane numquam occurrit,) tantum uni, vel alteri extra ordinem conceſſa ſunt, neque ea ſibi quiſquam, niſi cuius in diplomatibus expreſſa ſunt, poteſt adrogare.

QUAESTIO V. ET VI.

§. LXI. Iam ſupra me memini obſervare, quamvis commune ſit Vicariorum nomen, eo tamen officia diverſiſſima denotari, quia alii univerſae cuidam, vel pluribus provinciis; alii uni, alterive civitati; alii cum imperio, alii adſtrictiore poteſtate, praefuerint. Quemadmodum enim olim commune *Praeſidum* vocabulum, nec tamen una omnium poteſtas, eademque erant munia: ita idem dicendum eſt de Vicariis Italicis. Hinc & ſpecialibus vocabulis, & titulis eos in vetuſtis monimentis diſcerni animadvertimus, dum alii *Legati*, alii *imaginarii perſonae regiae*, alii *Vicecomites*, vel *Comites Capitanei*, alii *Poteſtates*, alii *Iuſtitiarii*, & *Iudices* apud ipſum *Petrum de Vineis* adpellantur (1). Hinc iam porro quinto quaeritur: *An non diſcrimen ſtatuendum ſit inter Vicarii Imperialis dignitatem, quae Principibus ſuprema dignitate in dominio ſuo pollentibus conceditur, & eam, quae minutis aliis, atque inferioribus Imperii Vaſallis data eſt, & an non in eo potiſſimum id diſcrimen poſitum ſit, quod prior conceſſionis forma leges ferendi po-*

(1) Henr. Pignorius *ad* Albertini Muſſati *Hiſtoriam Henrici VII. Imp.* p. 42.

Digitized by Google

poteſtatem, *&* *reliqua iura*, *ac regalia minora poſſeſſoribus tribuat*, *non vero illa poſterior?* Itemque ſexto: *An diſcrimen aliquod*, *&* *quale intercedat inter dignitatem Vicarii totius Imperii conſenſu munitam*, *&* *eam*, *quae a ſola Imperatoris conceſſione procedit*, *praeſertim circa legum ferendarum poteſtatem?* Quam quidem quaeſtionem utramque merito adſirmandam eſſe exiſtimo.

§. LXII. Equidem iam ſaepe monui, Vicariorum officium in eo ſolo conſiſtere, quod Imperatoris vices gerant in certo terrarum tractu, pacem, & concordiam tueantur pro virili, & praecipue vice ſacra iudicent. Hinc ſtatuendum videtur, maius, & minus non variare ſpeciem, & Vicarii dignitatem in minore terrae tractu non minorem eſſe, quam eius, qui maiori praeeſt provinciae. Quemadmodum enim ne Regnorum quidem, Ducatuum, & Principatuum omnium eadem magnitudo, ac potentia eſt, & iſta tamen opum, ac territorium inaequalitas non impedit, quo minus omnes eodem, atque aequali iure provinciis ſuis praeſint, eademque maieſtate, dignitateque perfruantur: ita Vicarius non minus fuit, qui municipio Eſtulano, vel alii mediocris potentiae civitati praefectus eſt ab Imperatoribus, quam qui Tuſciae, vel Liguriae, vel univerſae Lombardiae eorumdem iuſſu, ac mandato praefuit. Et recte hic locum habere videntur, quae de contentionibus Regum, & Principum ſuper proëdria ſcripſit vir magni, & ſubacti iudicii, Samuel Pufendorffius (1): *Libertas in aequo poſita eſt*, *quae magnitudine opum haudquidquam diſtinguitur*. *Pateat igitur unius imperium per ſexcenta milliaria*, *alterius per centum dumtaxat*. *Idem*

q

(1) *De iure nat. & gent. Lib. VIII. Cap. IIII.* §. 18.

Idem tamen imperium hic in modica ſua, quam alter in laxiore ditione obtinet: neque hic minus, quam alter, finem civitatum inſtitutarum conſequitur. Et paucis interiectis (1): *Ex hiſce omnibus ſatis firmiter videtur concludi, ex obligatione perfecta, quae in altero ius proprie dictum praeſupponit, regem revera talem non teneri loco cedere alteri regi, tamquam digniori, utut hic conditionibus iam enumeratis praepolleat, neque civitatem liberam alteri civitati liberae, licet antiquiori, & potentiori.* Quae ſi iuſtam habent rationem, ubi de ipſorum Regum, ac Principum proëdria, & praerogativis quaeritur: quidni ſi de eorum, & maxime ipſorum Imperatorum Vicariis diſceptatur, ita ut parem omnium poteſtatem eſſe dicamus, ſive maximo, ſive minori terrarum tractui, ſive uni tantum, alterive civitati ab Imperatore praeficiantur?

§. LXIII. Enimvero permultum omnino intereſt inter Vicariatum, ſive perſonae, ſive familiae, datum, qui talis permanſit, & eum, qui in feudum nobile Ducatus, vel Marchionatus, mutatus eſt. Id enim ſaepenumero contigiſſe, Italiae docent annales, totque, quae noſtra, patrumque memoria lucem viderunt, diplomata. Ut rem, nemini fortaſſis, niſi rerum omnium ignaro, ignotam paucis tantum exemplis illuſtremus: provinciam Mediolanenſem olim vice Caeſarum rexiſſe Vicarios, eorumque alios urbi, fraena, plerumque nefarie mordenti, alios maximae Inſubriae parti cum imperio praefuiſſe, tot veterum teſtimoniis poteſt demonſtrari, ut verear, ne ſoli facem

(1) Idem *ibid.* §. XX. -- *Addantur* Iacobus Gothofredus *de praecedentia, Par. I. Cap. III.* -- Ioannes Loccenius *Hiſt. Saecan. Lib. VIII. ad ann. MDCXII.*

facem commodare velle videar, ſi ea hic omnia accumulare velim (1). Inter eos Inſubriae Vicarios fuere etiam Vicecomites, Matthaeus puta, eius filius Galeacius, nepos porro Azo, ac demum Ioannes, qui, rebus labente re publica turbatis, pecunia a Wenceſlao Rege obtinuit, ut in poſterum cum poſteris ſuis Ducatus nomine regeret ampliſſimam provinciam, cui Vicaria poteſtate ipſe, ac maiores adhuc praefuerant (2). Quam patrimonii publici diſſipationem tam aegre tulerunt Imperii Ordines, ut inter cauſſas, propter quas Wenceſlao abrogatum eſt imperium, haec fere praecipua eſſet, quod *mutilarit Imperium Mediolano, & provincia Langobardiae, quae iuris Sacri Romani Imperii fuerint, redeuntibus inde ad Imperium ampliſſimis emolumentis: quodque eum, qui in illa ditione velati* Miniſter Sacri Imperii *partibus functus ſit, accepta pecunia Mediolani* Ducem, *&* Comitem *Papienſem crearit* (3). Exſtant ipſae tabulae publicae, quibus Wenceſlaus anno MCCCLXXXXV. ducali iſto axiomate condecoravit Ioannem Galeacium, quibus patet, talem fuiſſe novae dignitatis formulam, *ut ipſe, heredeſque eius, ac ſucceſſores, Duces Mediolani omni dignitate, nobilitate, iure, poteſtate, libertate, conſuetudine, & honore gauderent,*

q 2 Du-

(1) *Vid.* Triſtanus Calchus *Hiſt. patr. Lib. XVIII. ad ann. MCCXXXXVIIII.* -- Muſſatus *Hiſt. Henrici VII. Lib. I. p. 6. & Hiſtor. poſt Henr. VII. p.* 183. -- Ludov. Cavitellius *in Annal. Cremonenſib. ad ann. MCCCII.* -- Cuſpinianus *Hiſtor. Caroli IIII. Imp. p.* 384.

(2) Ioſeph. Ripamont. *Hiſt. Mediolan. Decad. III. Lib. III.* -- Paullus Iovius *Hiſt. Vicecomitum apud* Graevium *Theſaur. ſcript. Ital. Tom. III. p.* 1028. -- Dubrav. *Hiſt. Boom. Lib. XVIII. p.* 605.

(3) Melch. Goldaſtus *Conſtitut. imper. Tom. I. p.* 379.

Digitized by Google

quibus alii Sacri Imperii Principes , *& nominatim* Duces *fruiti ſint hactenus , & quotidie potiantur* (1) . Quamobrem tunc demum Galeacii , qui antea Vicaria poteſtate primum ſub Vicariorum , ac deinde Vicecomitum nomine Inſubriae praefuerant , eam poteſtatem , quae complexu ſuo omnia regionis iura ſub una , & ſumma poteſtate continet , & hodie ſuperioritatis nomine venit , Wenceſlai ſive beneficio , ſive prodigalitate ſunt conſequuti . (2) Quamvis vero ideo vulgo vapulet miſer ille Wenceſlaus , quippe infelici iſto ſidere natus , ut , quidquid ageret , hominum reprehenſionem incurreret : ei tamen praeiverat Ludovicus Bavarus , Ducem Lucenſem , Piſtorienſem , & Lunenſem creans Caſtrucium , quem antea illis terrarum tractibus Vicarium praefecerat , idque exemplum poſtea imitati ſunt poſteri , ut vere dici poſſit , pleroſque per Italiam Ducatus , & Marchionatus inde natos eſſe , quod qui antea vice Imperatorum certas regiones , ac provincias rexiſſent , poſtea eaſdem tamquam Ducatus , Marchionatuſve Imperatorum beneficio poſſiderent . Horum Ducatuum , & Marchionatuum poſſeſſores aliqui deinde Vicariorum Imperii nomen retinuerunt , quum tamen in territoriis ſuis magis propria , quam Vicaria , poteſtate uterentur : quod ſaltim de Ducibus Mantuanis notum eſt , qui quum Vicariorum generalium dignitatem adfectarent (3) , ipſi tamen faſſi ſunt , ſe Vicariatum illum in ſuis tantum ditionibus exercere . Quis vero

(1) G. G. Leibnitius *Cod. iur. gent. diplom. n. CVIIII.* §. 4. *p.* 258.

(2) Schuzfleiſchius *de iure Auguſti in Italiam* §. *XII. p.* 9.

(3) *In litteris ad Electores anno MDCLVIII. ſcriptis , & Proteſtatione eo nomine interpoſita apud* Londorp. *Act. publ. Tom. VIII. c.* 245.

Digitized by Google

vero neget, eos, quorum Vicariatus in ſuperioritatem territorialem mutatus, vel cum illa coniunctus eſt, plus poſſe, quam inferiores illos, ac ſpeciales Vicarios? Qui, tantum abeſt, ut eadem poteſtate, ac illi, gaudeant, ut ſaepe aliis ſubfuerint, & ab iis vel electi, vel firmati ſint, uti ex inſigni diplomate Henrici VII. Imp. apud *Muſſatum* poteſt probari (1). Recte ergo illi Duces, & Marchiones Vicarii leges ferunt, tamquam ſupremi territoriorum ſuorum poſt Imp. Domini, & tali ornati Imperii officio, a quo numquam ſeiuncta fuit poteſtas legiſlatoria? At minus recte idem ſibi adrogant minores Vicarii, quibus ſuperioritas territorialis non competit, ſed poteſtas quaedam, quam vice, & mandatu Imperatorum exercent, cuiuſque vi nihil illis competit, quam quod expreſſe mandatum eſt.

§. LXIIII. Hinc, quae ſupra (§. LXII.) de aequalitate poteſtatis dicta ſunt, vera quidem ſunt de ſummis Principibus, quibus nemo de proëdria leges praeſcribere poteſt: at non de miniſtris Caeſarum, quales, ſi originem ſpectes, fuere minores iſti Italiae Vicarii. Hi enim eum locum tenent, quem illis adſignavit Imperator: & quo maior rei publicae pars iis credita eſt, eo maior eſt eorum dignitas, ac poteſtas. Hinc quamvis *Iac. Gothofredus* (2) fateatur, *ſubditorum populorum dignitatem, virtutem, fortitudinem, vel etiam numerum, potentiam, ac divitias, inter Principes, & pares iuſtum praecedentiae titulum non eſſe:* idem tamen de Magiſtratibus, & miniſtris aliud plane ſtatuit, de iiſque ſcribere non dubitat:

(1) Muſſat. *Hiſtor. Henrici VII. p.* 15. -- Gerlac. Adolphus a Munchhauſen *de Vicar. Ital. Cap. II. §. III. p.* 26.

(2) Iac. Gothofred. *de praeced. Cap. IIII. §.* 31. *p.* 121.

bitat : *Magiſtratus ordinariam iuriſdictionem loci habentes , aliis omnibus in eo loco quodcumque tandem publicum munus ſuſtinentibus praeferuntur . Inter pares* Maiorem *iuriſdictionem obtinens alteri praeferendus , ſeu maior reſpectu poteſtatis , ſeu iuriſdictionis ordinariae , & cum poteſtate coniunctae , maior etiam eſt reſpectu dignitatis , ſeu praecedentiae* (1) . Si ergo inter pares Vicarios unus alteri ob iuriſdictionis magnitudinem praeferri poteſt , & debet : quanto magis minores Vicarios cedere oportebit maioribus , qui in territoriis illis , in quibus Vicariam poteſtatem nomine Imperatorum exercent , ſimul ſuperioritate gaudent , illiſque Imperatoris , & univerſi Imperii conſenſu tamquam Duces , & Principes praeſunt ? Et quid mirum , ſi hi legiſlatoria poteſtate , etiam diſertis verbis non conceſſa , iure quodam ſuo utuntur , tamquam Principes , & territoriorum domini , quam minores illi , quippe ſoli miniſtri Imperatorum , exercere ſine ſpeciali mandato nequeunt ?

QUAESTIO VII.

§. LXV. IAm ſeptimo quaeritur : *Utrum Vicarii Imperialis dignitas vaſallis quidem , ſed non Principibus ſupremis modo praedicto conceſſa , Regalia , privilegia , atque praerogativas tantummodo comprehendat , quae in diplomate ſunt expreſſa , an & alia , & quaenam prae ſe ferat , quidve illi conceſſioni inſit ?* Ad quam quaeſtionem iam in anteceſſum nos reſpondiſſe meminimus (§. XXXXVIII. *ſequ.*) Quamvis enim beneficia Principum quam pleniſſime videantur

(1) Idem *ibid.* §. 31. p. 122.

tur interpretanda (1), & ipſi domini Vicarii ex eo, quod quibuſdam ſui ordinis eminentiora quaedam iura conceſſa eſſe vident, eadem ſibi quoque competere, non ab re colligere ſibi videantur, ab officio ad iura cum illo coniuncta recte duci argumentum rati: maxime, quum ſimul ſint vaſalli Imperii, quibus omnia omnino iura regalia, etiam non ſpeciatim conceſſa, competere oportere exiſtimant. Tamen itidem iam ſupra (§. XXXXVIIII.) demonſtravimus, I. aliam eſſe pleniſſimam, aliam extenſivam privilegiorum interpretationem. Illam enim efficere, ut effectum ſortiatur privilegium, hanc privilegium ad alios caſus non expreſſos ob paritatem rationis perducere; illi ergo interpretationi in privilegiis locum eſſe, huic non eſſe. Nec minus II. perſpicue oſtendimus, ab officio argumentum duci poſſe ad iura officio iſti propria, & hinc cum illo neceſſario coniuncta, non ad alia, quae cum illis aliquando, tantum ex privilegio, vel extra ordinem coniuncta eſſe ſolent. Quaenam vero tamquam propria inſint officio, ex eius fine aeſtimandum eſt. Finis officii Vicariatus, uti ſaepe monuimus, eſt, ut ii, qui illa dignitate ornati ſunt, pacem, & concordiam in terris Imperii tueantur, ut civibus vice Imperatoris ius dicant, eorumque querelas, atque adpellationes audiant. Ad id vero officium explicandum nullis regalibus, nec aliis praerogativis opus eſt, quam iuriſdictione, & mero, mixtoque imperio, unuſquiſque intelligit. Reliqua omnia, quae mandata non ſunt ſpeciatim, adrogare ſibi nequeunt, quia ea eſt mandati indoles, ut ultra ſuos limites porrigi nequeat. Praeterea eodem loco oſtendimus, III.

(1) *L. 3. D. de conſtit. princ.*

Digitized by Google

III. ex natura feudi Imperii non abſciſſe praeſumendam, colligendamque eſſe conceſſionem iurium regalium, nec uno, alterove regalium conceſſo, reliqua data eſſe praeſumi, adeoque non ſequi, ut poſſeſſores feudorum Langharum, tamquam Vaſalli Imp. omnia iura regalia exercere poſſint, niſi iſtius expreſſe inveſtiti ſint, vel niſi poſſideant Ducatus, Marchionatus, aliaque feuda vexilli, uti in legibus Imperii vocantur, quibus quippe omnia regalia, iuraque ſuperioritatis haerere, nemo negaverit (1). Quae quum ita ſint, facile unuſquiſque intelligit. praeter pacis cuſtodiam, & iuriſdictionem, non alia iura, privilegia, & praerogativas, nedum regalia, comprehendere dignitatem Vicariatus, quam quae in diplomatibus exprimuntur.

QUAESTIO VIII.

§. LXVI. EAdem eſt quaeſtionis octavae ratio. Quando enim quaeritur, *an ea ſit meri, mixtique imperii, omnimodaeque iuriſdictionis cum omnibus regalibus ad feudum ſpectantibus vis, atque efficacia, ut legum ferendarum poteſtatem involvat?* id negandum eſſe, ſupra (§. LI. *ſequ.*) tam luculentis argumentis demonſtravimus, ut actum agere procul dubio videremur, ſi ea hic repetere vellemus. Quicumque enim poteſtatem leges ferendi vel iuriſdictione omnimoda, vel mero, mixtoque imperio comprehendi ſtatuunt, eos nec iuris publici, nec privati ullis principiis niti, ſed ſola gloſſatorum interpretamenta, argumentaque ſequi, palam eſt. Haec vero quum ſomniis febricitantium ſint ſimillima, eorumque

(1) Nic. Hier. Gundling. *de feudis vexilli* §. XXXXIII.

que iam oſtenſa ſit vanitas ex iis, quae iam ſupra diximus, vel verbum addere nihil profecto attinet.

QUAESTIO VIIII.

§. LXVII. **D**Enique & ultimae quaeſtioni: *an ſola qualitas vaſalli Imperialis immediati, qua olim gaviſi ſunt poſſeſſores, vaſallique Langbarum, poteſtatem legum ferendarum ipſo iure conferat?* iam ſupra (§. XXXXVIII. *ſequ.*) videmur ſatisfeciſſe, ubi oſtendimus, non omnes vaſallos Imperii immediatos hac poteſtate uti, ſed eos tantum, quibus competit ſuperioritas territorialis: immo eſſe quaedam immediata Imperii feuda, quibuſcum ne ea quidem iura, quae alioquin & vaſallis quibuſdam mediatis competunt, vaſallis per inveſtituram conferuntur, qualia ſunt feuda prope Noribergam culinaria. Quamobrem ſolam immediati Imperii vaſalli qualitatem non involuere poteſtatem legislatoriam, merito ſtatuimus.

§. LXVIII. Et haec quidem ſunt, quae ad propoſitas quaeſtiones reſpondere viſum eſt. Ingenue, prout ICtum, virumque honeſtum decet, noſtram expoſuimus ſententiam, nec quidquam adfirmavimus, quod non Imperii legibus, argumentiſque ex genuinis antiquitatis monumentis, veluti annalibus, ac diplomatibus, demonſtraſſe nobis videamur. Si quid vero, quod non ſpero, nihil tale cogitanti, iuribus Imperii, vel cuiuſcumque, vel veritati diſſentaneum mihi exciderit, id ne ſcriptum quidem eſto.

PRIVATO NOMINE,
a. 1739.

Digitized by Google

RESPONSUM II.

SUPER TABULIS

SUPREMIS USIMBARDIANIS AN SIT IN POTESTATE, ET ARBITRIO PRINCIPIS POSITUM, DEROGARE ULTIMIS TESTATORUM VOLUNTATIBUS?

I. ROgati ſententiam ſuper tabulis ſupremis *Uſimbardianis*, iisque, quae poſtea illarum occaſione acta diſceptataque ſunt, nos Ordinis Iuridici in Academia Fridriciana Halenſi Ordinarius, cet. lectis expenſiſque, quae eo facere viſa ſunt, omnibus, rationibuſque accurate, pro eo, ac decet, ſubductis, hanc denique ſummam cogitationum noſtrarum fecimus, quam hoc reſponſum, de collegii noſtri ſententia adornatum, oſtendet. Ut vero, qua de re diſceptetur, quidque potiſſimum in controverſiam veniat, eo facilius intelligatur: operae pretium omnino facturi nobis videmur, ſi ſpeciem ipſam paullo pleniorem praemiſerimus; quae talis eſt.

II. *Ioannes Bardi* vel *Uſimbardi*, Sacrae & Illuſtriſſimae S. Stephani militiae Eques, & Prior, condito anno erae Chriſtianae MDCLVIII. teſtamento, filiaeque *Fulviae*, quam unicam habuit, dote congrua relicta, reliquas facultates ſuas in primogenituram, quam vocant, convertit. Ad eam primo loco vocavit

Vin-

Digitized by Google

Vincentium, filium, qui ei tum iam natus erat, unicum, ceteroſque, ſi qui in poſterum in lucem proditurí eſſent, filios, eorumque ſexus dignioris poſteros in infinitum. Deinde deficientibus his deſcendentibus, proximarum neceſſitudinum rationem duxit habendam, eoque conſilio illis ſubſtituit quinque fratres, eo ordine, ut primum *Aloyſius*, deinde *Iulius*, hinc *Philippus*, tum porro *Vincentius*, ac poſtremo *Bardus*, una cum ſuis quiſque poſteris maſculis, eo fideicommiſſo perfruerentur. Denique ſi his omnibus humani quid contingeret, vel eorum ſtirpes omnes paullatim exareſcerent: eam legem rebus ſuis dixit teſtator, ut Illuſtriſs. & Clariſs. Locumtenens una cum Conſiliariis S. R. Celſitudinis, nec non ſeptem Senatoribus, ſecundum aetatis praerogativam adhibitis, ſinguli deſignarent iuvenem, domo Florentinum, aeque florentem nobilitate generis, ut in ordinis S. Stephani collegium cooptari de iure poſſet: demum res omnis ita ſorti committeretur, ut cuiuſcumque ex horum duodecim iuvenum numero ſors, nomenque exierit, is una cum omnibus deſcendentibus maſculis in fideicommiſſo illo, ſeu primogenitura ſuccederet. Quae omnia ex ipſis *Uſimbardi* tabulis, nobiſcum communicatis, ſatis ſuperque elucent.

III. Quod ad *Fulviam*, filiam teſtatoris, cuius meminimus, unicam attinet, ea, patre orbata, nupſit *Petro Alamanno*, Senatori Florentino, mater facta *Raphaelis*, eiuſdem ordinis ampliſſimi Senatoris, cuius de iure potiſſimum in praeſenti diſceptatur. Nimirum, ut ſunt incertae ſpes conſiliaque mortalium, & ſaepe, quae nemo omnino eventura credidiſſet, eveniunt: ita & *Uſimbardiano* fideicommiſſo con-

Digitized by Google

contigit, ut quinque illi ſubſtitutionum gradus prius, quam prima inſtitutio, deficeret. *Vincentius* enim, teſtatoris filius, parentis hereditatem crevit, quinque vero fratres, illi eiuſque poſteris ſubſtituti, omnes, vivo *Vincentio*, nullis poſteris ex ſe ſe relictis, diem obierunt ſupremum. Immo nec *Vincentio* domi erat maſcula proles, & poſtremis annis decrepita fere ſenectus ne ſpem quidem illi tollendae ſobolis reliquerat.

IV. Animadvertens itaque vir clariſsimus, *Raphael Alamannus*, imminere *Uſimbardianae* genti tam illaetabile fatum, ut ea exſtincta res ad ſortem non ita multo poſt ſit reditura, ſpem concepit potiundae hereditatis avitae, neque dubitavit, quin ipſe, tamquam teſtatoris nepos, perſonae extraneae ei que, incertae & forte inveniendae, ipſa ſuadente aequitate, omnino eſſet anteferendus. Quod quum ſine ſummi Principis ope auctoritateque ſeſe non conſequuturum intelligeret, anno MDCCXXVIII. ſuperſtite adhuc *Vincentio*, Sereniſsimum Magnum Ducem, *Ioannem Gaſtonem*, porrecto libello ſupplice, adiit, petiitque humillime, ut, exſiſtente aliquando caſu, ſui habeatur ratio, Conſiliariique & ſeptem Senatores Antiani, quibus ius nominandi ex avi ſui tabulis futurum ſit, non alium, quam ſe, nominare iubeantur. Reſcripſit Princeps, & celeberrimum ICtum *Franc. Ant. Bonſinium* Locumtenentis & Conſiliariorum Auditorem, cauſſa cognita, ſententiam ſuam ea de re exponere iuſsit. Eo facto, ſententiaque illa ab Auditoribus Regiae Conſultae iterum excuſſa, ac probata, tandem celſiſsimus Princeps, die V. Septembris MDCCXXVIII.

cle-

clementiſsime adnuit *Alamanni* precibus, & fideicommiſſum illud, non obſtantibus ſupremis *Uſimbardi* tabulis, mortuo *Vincentio* ad eum devolutum, nec alium ab Ill. Locumtenente, Conſiliariis, & Senatoribus Antianis ſucceſſorem nominatum iri reſcripſit.

V. Vitam *Vincentius* produxit ad menſem Septembrem MDCCXXXVIII. quo demum grandaevus ille ſenex, nulla relicta prole, rebus humanis exceſsit, locumque fecit exſequutioni beneficii iſtius ſeu gratiae, quam a Supremo Principe *Alamannus* impetraverat. At tantum abeſt, ut inde fructum aliquem adhuc perceperit vir clariſsimus, ut quinque Conſiliarii, & ſeptem Senatores Antiani, praetexentes cauſſam, gratiam illam derogatoriam vel nullitatis vitio laborare, vel exemto rebus humanis Sereniſsimo Magno Duce, *Ioanne Gaſtone*, ipſo iure expiraſſe, ſuppliciter precati ſint Potentiſsimum, qui iam rerum potitur, Principem, ut ſibi nominandi ex teſtatoris praeſcripto duodecim iuvenes, forteſque in ſitellam coniicendi facultatem clementiſsime concederet. Nec minus, rerum ſuarum ſatagens clariſsimus *Alamannus* porrecto libello, vel exſequutionem iam impetratae gratiae, vel eiuſdem confirmationem clementiſsimam humillime petiit. Relatum ea de re eſt ad Conſilium Principis: tribuſque eximiis ICtis *Piccininio*, *Bizarrinio*, & *Venturinio* Rotae Florentinae Auditoribus, id datum negotii, ut, re diligenter expenſa, ſuas dicerent ſententias: ſed & earum, ut ſit, tantum fuit divortium, ut unus & conſiſtere illam gratiam, ex aequiſſimis rationibus conceſſam, & per Principis mortem minime expiraſſe cenſeret, reliqui duo dividerent ſententiam, & de nullitate ſibi nondum liquere fa-

faterentur, gratiam tamen, ſatis functo celſiſſimo Principe, omnino expiraſſe, adſeverarent. Pendente ergo adhuc cauſſae tam arduae deciſione, facile patet, in eo unice verti quaeſtionem: *Utrum pro impetrata a celſiſſimo Magno Duce*, Io. Gaſtone, *gratia, adeoque pro clariſſimo* Alamanno, *ſit pronunciandum, an iis potius, qui illam, & nullam eſſe, & mortuo celſiſſimo illo Principe, exſpiraſſe, exiſtimant, adſtipulandum eſſe videatur?* Si ſecundum clariſſimum *Alamannum* lis danda eſſet, quatuor haec ſumma capita in tuto eſſe debere, unuſquiſque intelligit:

I. In poteſtate, atque arbitrio Principis poſitum eſſe, derogare ultimis teſtatorum voluntatibus:

II. In praeſente ſpecie juſtas conſultiſſimaſque fuiſſe cauſſas, quae glorioſiſſimae memoriae Principem, Io. Gaſtonem *ad reſcindendas* Uſimbardi *tabulas impellere potuerint:*

III. Eam gratiam clariſſimo Alamanno *recte, & ordine factam, neque hunc illam per obreptionem adeptum eſſe. Denique*

IIII. Semel datam, & hodie ratam eſſe, neque poſt celſiſſimi Io. Gaſtonis, *Magni Ducis, exceſſum potuiſſe exſpirare.*

VI. Quibus in tuto collocatis, perorata videri poterit clariſſimi *Alamanni* cauſſa. Haec vero capita tam luculenter probata quibuſdam videbuntur, ut ſatisfactum eſſe oporteat omnibus, quorum luminibus non officit praeiudicata opinio. Quod enim ad primum attinet, *In poteſtate, atque arbitrio Principis poſitum eſſe, derogare ſupremis morientium iudiciis:* propoſitio illa extra omnem dubitationis aleam poſita, merito exiſtimabitur. Nam 1) plura exſtant

eam

eam in rem veterum ICtorum teſtimonia, tam clara, ut vir clariſſimus, qui iam in hac cauſſa reſpondit, *Philippus Rota*, hanc quaeſtionem tantum in ſcholis, & academiis agitari, in foro autem rem expeditiſſimam eſſe, exiſtimet. Et ſane illi leges ipſae aperte videntur ſuffragari. Nam quid clarius verbis Valentis (1): *Legatam municipio pecuniam in aliam rem, quam defunctus voluit, convertere*, citra Principis auctoritatem *non licet*. Ex iis enim, retro ducto argumento, recte colligi poſſe videtur, tantam omnino eſſe Principis auctoritatem, ut & ſupremis defunctorum iudiciis derogare, pecuniamque, ab iis certo uſui deſtinatam, in aliam rem, alioſque uſus convertere, nullo iure prohibeatur. Quid ad rem accommodatius, *Calliſtrati* ſuffragio, qui tantum abeſt, ut dubiam Principi reddat hanc facultatem, ut divum *Pium* generali reſcripto permiſiſſe teſtetur magiſtratibus municipalibus, ultimis defunctorum voluntatibus hac ratione derogandi (2). *Pecuniam*, *inquit*, *quae in opera nova legata eſt*, *potius in tutelam eorum operum*, *quae ſunt*, *convertendam*, *quam ad inchoandum opus erogandam*, *divus Pius reſcripſit*, *ſcilicet ſi ſatis operum civitas habeat*, *& non facile ad reficienda ea pecunia inveniatur*. Si vero *Antonino* Imp. generali lege cavere licuit, ut fas ſit magiſtratibus, urgente neceſſitate, & ſuadente utilitate publica, legata aliis uſibus impendere, atque adeo derogare ſupremis hominum tabulis: quanto minus tam arctis limitibus circumſcribenda erit ſupremi Principis poteſtas, ut in ſpeciali quodam caſu, ipſa

id

(1) *L. 4. D. de adminiſtr. rer. ad civ. pert.*
(2) *L. 7. pr. D. de operib. publ.*

id urgente aequitate, utpote numquam a ſtricti iuris rigore ſeiungenda, teſtamentis derogare poſſit? Accedit, quod hoc *Antonini Pii* reſcripto procul dubio fretus *Modeſtinus*, his ſimilibuſve caſibus, & ſine ſpeciali Principis auctoritate legatam pecuniam in alios uſus converti a municipiis poſſe reſpondit. Ait enim (1): *Legatam civitatibus relictum eſt, ut ex reditibus, quotannis, in ea civitate, memoriae conſervandae defuncti gratia ſpectaculum celebretur, quod illic celebrare non licet: Quaero, quid de legato exiſtimes? Modeſtinus reſpondit: Quum teſtator ſpectaculum edi voluerit in civitate, ſed tale, quod ibi celebrare non licet: iniquum eſſe, hanc quantitatem, quam in ſpectaculum defunctus deſtinaverit, lucro heredum cedere. Igitur, adhibitis heredibus, &* primoribus Civitatis, *& diſpiciendum eſt, in quam rem converti debeat fideicommiſſum, ut memoria teſtatoris alio, & licito genere celebretur.* Quod autem heredibus, & primoribus civitatum municipalium iura indulgent: id cur non multo magis liceat Principi? Deinde, 2) ſi qua eſt doctorum, ac prudentum auctoritas: cauſſa clariſſimi *Alamanni* talis videtur, ut turmatim conduci poſſent ICti, qui omnes conſentiente ſuffragio Principibus eam poteſtatem vindicant. Sed quum iam eo labore defuncti ſint, qui ante nos reſponderunt, viri conſultiſſimi: nos quidem hic actum agere nolumus, monuiſſe contenti, in hac ipſa academia noſtra hoc ius circa ſuprema defunctorum iudicia Principibus ſtrenue vindicatum eſſe.

(1) *L. 16. D. de uſu, & uſufr. leg.*
(2) *Diſſ. de iure Princip. circa mortuor. iudicia*, *Diſſert. Tom. VII. p. 156. ſequ.*

Digitized by Google

eſſe a ICto olim primario, *Samuele Strykio* (1), ubi vir ille doctiſſimus plures ſuae ſententiae ſuffragatores more ſuo laudavit.

VII. Nobis merito omni auctoritate potiores ſunt cum leges, tum 3) ipſae iuris rationes. Sunt autem omnino rationes conſultiſſimae, quae eam poteſtatem competere Principi, unumquemque convincunt. Nam primo, quum ea omnia licita eſſe oporteat ſummis imperantibus, ſine quibus finem rei publicae, puta internam externamque ſecuritatem, obtinere non poſſent, ſecuritas autem illa obtineri non poſſit, niſi iis etiam in bona, ac opes civium, in quibus nervi rerum publicarum conſiſtunt, ius aliquod competeret ſupremum: neceſſe eſt, tale ius illis non eſſe denegandum. Vidit id iam ex veteribus *Seneca*, cuius hoc effatum eſt (2): *Ad Reges* Poteſtas *omnium*, *ad ſingulos* Proprietas *pertinet*. Multoque magis id viderunt, qui noſtra memoria iura Principum ex iuris gentium, ac civilis doctrinae principiis paullo accuratius explicarunt, ſiquidem omnes ius circa civium bona, ipſumque dominium aliquod eminens argumentis non levibus, ſed ſolidiſſimis, Principibus veluti ex compacto adſeruerunt (3). Quo poſito conſequens eſſe videtur, Principibus & eam poteſtatem ſalvam eſſe debere, ut, ſi forte ab aequitate aliena ſit mortui diſpoſitio, vel

ſ ſalus

(1) *Diſſ. de iur. Princip. circa mortuor. iudicia*, *Diſſert. Tom. VII. p.* 156. *ſequ.*

(2) Seneca *de benefic. Lib. VII. Cap. IIII.*

(3) Grot. *de iure belli*, *& pacis*, *Lib. I. Cap. I. §. 6. & Lib. II. Cap. XIIII.* -- Puſendorff. *de iur. nat. & gent. Lib. VIII. Cap. V.* -- Ulr. Huber. *de iure civit. Lib. I. ſect. III. Cap. VI.* -- Corn. *van* Bynkersh. *in Quaeſt. iur. publ. Lib. II. Cap. VII.*

Digitized by Google

ſalus rei publicae, quam ſupremam legem eſſe decet, alium ac meliorem pecuniae relictae uſum poſtulare videatur, illi iſtam, non obſtantibus teſtatorum tabulis, in alium uſum recte, ac iure convertant (1).

VIII. Deinde 4) notum ac pervulgatum eſt, ipſos praetores Romanos, penes quos tamen numquam fuit ſuprema maieſtas, ac τὸ κύριον in republica, potuiſſe bonorum poſſeſſionem dare etiam contra tabulas, vel lignum, ita, ut derogarent omnino defunctorum iudiciis, & liberos emancipatos, ad quos nec ex teſtamento, nec ex lege, redibat hereditas, non obſtantibus tabulis, quibus alius heres ſcriptus erat, ad ſucceſſionem vocarent. Reſcindebat ergo praetor teſtamenta, & emancipationes iure factas negligebat, aequitatem naturalem potius, quam iuris civilis rigorem, ſequendam eſſe arbitratus (2). Quod ſi per leges licuit magiſtratui: quis, quaeſo, tam iniqua lance aeſtimaret iura Principum, ut iis nefas eſſe exiſtimet, reſcindere civis alicuius tabulas, nepotemque teſtatoris praeteritum admittere veluti ad bonorum poſſeſſionem, quem ipſa naturalis ratio extraneo praeferendum eſſe, ſuadebat?

IX. Praeterea 5) paene inter omnes conſtat, teſtamentifactionem non eſſe iuris gentium, quippe quum rationi vix conſentaneum ſit, ut quis de dominio rerum ſuarum in alium transferendo diſponat, in illud tempus, quo ipſe non amplius ſit dominus (3). Idque principium, vel ideo non poteſt

(1) *Et ita quoque* Strykius *noſter d. Diſſert. Cap. II. §. 1. & 2.*
(2) *L. 6. §. 1. D. de bonor. poſſeſſ.*
(3) *Vid. quae docte more ſuo tradidit incomparabilis vir Chriſtian. Thommaſius in diſput. de origin. ſucceſſ. Teſtament. §. 8. ſeqq.*

poteſt in dubium vocari, quod univerſa ſucceſſio teſtamentaria, ceu eximius ICtus Gallus obſervavit, meris fictionibus, tamquam cinno, implicata eſt (1). Fingere enim, obſervat, leges, heredem, quandocumque adeat hereditatem, heredem exſtitiſſe a tempore mortis teſtatoris (2). Simili fictione, agnitionem, & repudiationem legati ad tempus aditae hereditatis, nec non ius adcreſcendi ad tempus anterius retrohi, notiſſimum eſt (3). Praeterea tria tempora, teſtamenti conditi, mortis teſtatoris, & aditionis, naturaliter inter ſe diſtincta ita coniunguntur fictionis ſchemate, ac ſi eodem mortis momento, & teſtator bona ſua tradidiſſet heredi, & heres eadem ab illo accepiſſet. Quamobrem, ne hereditas ante aditionem nullius eſſe videretur, nova opus fuit fictione, puta, hereditatem iacentem adhuc eſſe defuncti, eiuſque veluti perſonam repraeſentare (4). Quae quum mera ſint commenta, contra naturae veritatem callide excogitata, & talia tamen, ſine quibus per naturam non poſſit intelligi iuris a teſtatore in heredes, & legatarios facta tranſlatio: conſequens omnino eſt, ut teſtamentifactio non ex recta ratione, quam ſolam ius naturae, & gentium ſequitur, ſed ex iure quodam poſitivo, promanarit (5).

(1) Ant. Dadinus Alteſerra *de fictionibus iuris*, *Tract. IIII. Cap. II. p.* 143.

(2) *L.* 54. *D. de adqu. vel omitt. hered.* -- *L.* 193. *D. de regul. iur.*

(3) *L.* 44. §. 1. *D. de legat. I.* -- *L.* 80. *D. de legat. II. L.* 17. §. 1. *D. ad leg. Aquill.* -- *L.* 35. *D. eod. tit.*

(4) §. 2. *Inſt. de hered. inſtit.* -- *L.* 31. §. *ult. D. eod. tit. L.* 34. *D. de adquir. rer. dom.*

(5) *Hoc argumentum ſolide expoſuit perill.* Io. Godofredus *Lib. Bar. de* Cocceiis *Diſſert. de teſtam. Princip. Part. I.* §. 34. *ſequ.*

Iam vero quis neget, ea, quae iuris civilis ſint, eique debent originem, ſub Principis cadere poteſtatem? Quum enim ipſi iuri civili derogari, ſurrogari, obrogari a ſumma in qualibet republica poteſtate poſſit, eoque iure ſuo quotidie uti videamus Principes: abſurdum profecto videri poſſet, iiſdem minus poteſtatis relinqui circa ſuprema privatorum iudicia, quae non ex alia ratione, quam ex iure civili, adeoque ex voluntate Principum rata habentur (1).

X. Cuius argumenti robur, ut eo magis intelligatur: 6) diſpiciendum erit, quid ſit *teſtamentifactio*? Nihil aliud utique, quam lex, quam privatus quiſque rebus ſuis dicit. Olim, quum Roma cum finitimis luctaretur, quumque eius urbis imperium iiſdem propemodum finibus, ac pomoeria, terminarentur: tanti viſa eſt illa teſtandi facultas, ut eam non putarent privatis relinquendam. Lex enim erat, quam ferre non privatis, ſed populo licebat: ac proinde populus in comitiis calatis rogatu magiſtratus ſuffragiis ſuis ſtatuebat, eſſetne rata an irrita habenda heredum inſtitutio (2). Et ſane iuris analogiae quam maxime conſentaneum videbatur, legibus de ſucceſſione inteſtatorum, populi

(1) *Rot. Florent. apud* Urceolum *Deciſ. III. n. 2. Et merito, quoniam ea, quae ex iure poſitivo magis, quam iure gentium, & naturae, proveniunt, qualis eſt fideicommiſſorum obſervantia, & iura ſuccedendi, Princeps facile tollere poteſt, iiſque pro arbitrio derogare.*

(2) Gell. *Noct. Attic. Lib. XV. Cap. XXVII.* §. 1. *Inſt. de teſtam. ordin. & ibi* Theophil.

puli ſuffragio latis, non aliter, quam nova lege, in comitiis lata, derogari, quum nihil ſit tam naturale, quam eodem modo quidque diſſolvi, quo fuerit colligatum (1). Quam vis vero aucto in immenſum civium Romanorum numero ipſa neceſſitas, hanc conſuetudinem abolendam eſſe, ſuaderet, ac proinde legibus decemviralibus caveretur: *Pater familias uti legaſſit, ita ius eſto* (2): manſit tamen teſtamentum lex, non quidem publica amplius, ſed privata, quia privatus quiſque legem dicebat rebus ſuis, attamen, (ut umbra quaedam priſci moris ſupereſſet,) adhibitis quinque teſtibus claſſicis, & civibus Romanis, condendam. Et hinc nihil fieri frequentius, quam *Legis* nomine venire teſtamentum, animadvertimus (3). Quae ſi vera ſunt, ut ſunt ſane veriſſima, nulla videtur excogitari poſſe ratio, cur Principis poteſtas,

(1) *L. 35. D. de regul. iur.* -- Corn. *van.* Bynkersh. *Obſ. iur. civ. Lib. II. Cap. II. p.* 112. *Ubi rem ita eleganter exponit vir doctiſſimus: lex praeſcripſit ſuccedendi formulam, & , quae eius poteſtas eſt, etiam teſtamenti factionem permiſit, ſed haud aliter, quam lege quoque, ut ſic lex in cauſſa inteſtati abrogaretur alia lege in cauſſa teſtati. Quare ad excludendos proximos, qui lege vocabantur. Romae teſtamenta, ut leges quaelibet, apud populum Romanum, calatis comitiis condebantur.*

(2) *L. 120. D. de verb. ſignif.*

(3) *Sic* Ulpianus *in Fragm. Reg. tit.* XXIIII. §. 1. Legare *interpretatur legis modo teſtamento aliquid relinquere*. Iuſtiniano *Novell.* XXII. *Cap. II. & generatim Graecis omnibus teſtamentum facere eſt* νομοθετεῖν, *id eſt, legem ferre. Sic & L. 40. §. 1. D. de fideic. libert. teſtator non ſibi, ſed legatariis, legem dixiſſe dicitur.*

ſtas, quae in legibus publicis abrogandis, mutandiſque maxima eſt, nulliſque ferme circumſcripta limitibus, eo uſque tamen non porrigenda dicatur, ut & privatae legi, quam civis rebus ſuis dixit, ex iuſta cauſſa poſſit derogare. Immo eo facilius derogabit voluntati privatae, quo minus dubitatur, quin legem publicam, quae tamen veteribus communis rei publicae ſponſio eſt, ubi id rei publicae ſalus exigit, ſuo quodam iure poſſit mutare.

XI. Quum itaque, ceu hactenus tot argumentis demonſtratum eſt, ſatis certi, atque expediti iuris videatur. Principi illibatam eſſe debere ultimis teſtatorum voluntatibus derogandi poteſtatem: pergimus ad id, quod ſecundo loco a clariſſimo *Alamanno* probandum eſſe, diximus, nimirum, *II. In praeſenti ſpecie iuſtas, ac conſultiſſimas fuiſſe cauſſas, quae glorioſiſſimae memoriae Principem*, Io. Gaſtonem *ad reſcindendas* Uſimbardi *tabulas, admittendumque prae perſona incerta clariſſimum* Alamannum, *impellere potuerint*. Quantacumque ſit poteſtas boni Principis, illam tamen ultra aequitatis limites porrigi non patitur eius magnanimitas, neque ſibi Princeps quidquam permittit, quod cum cuiuſquam civis ſui iniuria eſt coniunctum. Quamvis vero alias durum, ac iniquiſſimum ſit, ſuprema hominum ſubvertere iudicia, eorumque voluntates, qui velle amplius non poſſunt, caſſas eſſe iubere (1): celſiſſimo tamen Principi, *Io. Gaſtoni*, non videntur defuiſſe rationes admodum graves, ac praegnantes, cur contra *Uſimbardi* tabulas eius nepoti veluti bonorum poſſeſſionem dandam eſſe, cenſuerit. Nam 1) teſtamentum ipſum ita

(1) *L. 1. C. de ſacroſ. Eccl.*

ita comparatum eſt, ut merito dubites, an clauſula illa de ſucceſſore per ſortem eligendo iure ſubſiſtat. Sane enim dum Illuſtriſſimo Locumtenenti, Conſiliariis, & ſeptem Senatoribus Antianis id negotii dedit teſtator, ut duodecim iuvenes ſuo arbitrio nominarent, & eorum unus, cuius ſors exiiſſet, in bonis ſuis ſucccederet, manifeſto ſibi non ipſe ſcripſit heredem, ſed aliis, ut ſibi aliquem ſorte invenirent, permiſit. Id vero fieri non poſſe, his verbis docet *Pomponius* (1): *Illa inſtitutio:* quos Titius voluerit, *ideo vitioſa eſt, quod alieno arbitrio permiſſa eſt: nam ſatis conſtanter veteres decreverunt, teſtamentorum iura ipſa per ſe firma eſſe oportere, non ab alieno arbitrio pendere.* Et notum eſt, aliis quoque iuris textibus hanc regulam probari a viris doctiſſimis, ſimul demonſtrantibus, eam tum ad heredis inſtitutionem, tum ad legata, & fideicommiſſa pertinere (2). Atqui in praeſenti caſu non ipſe *Uſimbardus* ſibi inſtituit heredem filio, & fratribus ſucceſſurum, ſed illum a Conſiliariis, & Senatoribus eligi voluit: & quamvis rem ſortis iudicio iuſſerit ſubmitti, quia tamen nullius, niſi quem eligentes nominaverint, ſors exire aliquando poterit, tota illa ſubſtitutio manifeſto pendet ab arbitrio alieno, ac proinde per hanc legem vitioſa eſt. Quis mire-

(1) *L. 32. pr. D. de hered. inſtituend.*
(2) *L. 35. D. de hered. inſt. -- L. 68. D. eod. tit. -- L. 11. §. 7. D. de legat. III. -- L. 52. D. de cond. & demonſtr. L. 7. §. 1. D. de reb. dub. -- L. 46. D. de fideic. libert.* Cuiac. *Obſerv. Lib. II. Cap. II.* -- Connan. *Comment. Lib. X. Cap. VI.* -- Acoſta *Lib. I. Select. Cap. XXI.* -- Sarmient. *Lib. II. Select. Cap. XI.* -- Gontz. Tellez. *Comment. ad c. 13. X. de teſtam. Tom. III. P. I. p. 491.*

Digitized by Google

miretur ergo, clauſulam teſtamenti, iam in ſe vitioſam, irritam pronunciaſſe optimum Principem, & nepotem, ad quem, exſtinctis heredibus inſtitutis ac ſubſtitutis, hereditatem ex lege redire oportebat, ad ſucceſſionem vocaſſe?

XII. Deinde 2) aequitatis ratio ſubigere potuit iuſtiſſimum Principem, ut clariſſimi *Alamanni* precibus clementiſſime adnueret. Ipſa ſane naturalis ratio, ſi recte ponamus calculum, liberos praefert extraneis, & Apoſtolus hoc tamquam indubitatum ab omnibuſque admiſſum principium ponit: *Si liberi; ergo, & heredes* (1). Ergo veluti naturam odiſſe, & malignum de ſanguine ſuo iudicium tuliſſe videbitur is, qui filiam unicam ita hereditate excludit, ut eam eiuſque poſteros, nec deficiente ſtirpe maſcula, ac ne fratribus quidem eorumque poſteris exſtinctis, honorandam exiſtimet, ſed illi perſonam extraneam, eamque incertam, & ab aliis, aeque extraneis, per ſortem demum reperiendam, praeferat, maxime quum in perſonam iſtam incertam nulla cadat adfectio, quae patri illam ſuo ſanguini praelaturo incitamento eſſe poſſit. Niſi ergo *Uſimbardum* quaſi patrem eiuraſſe exiſtimare velimus, (qua ſuſpicione omnino carere oportet tantae dignitatis, ac prudentiae virum,) credendum omnino eſt, eum more humano non ſatis, quae futura erant, proſpexiſſe, neque animo praeſenſiſſe familiae ſuae cladem, neque ſibi perſuadere potuiſſe, eam, licet ſex perſonis maſculis ſubnixam ita tamen brevi defecturam eſſe, ut ſolum filium ſuperſtitem ſit ſucceſſorem habiturus. Id ſane gentis

(1) *Epiſt. ad Roman. Cap. VIII. v. 17. -- Epiſt. ad Galat. Cap. IV. v. 7.*

gentis ſuae fatum ſi praevidiſſet vir optimus, dubitare profecto nefas eſt, quin prae aliis omnibus rationem habiturus fuiſſet ex filia nepotis, neque commiſſurus, ut bona ad extraneum potius incertum, quam ad hunc, pervenirent. Dum ergo celſiſſimus Hetruriae Magnus Dux, *Io. Gaſto*, hunc teſtatoris errorem gratia ſua prudenter emendavit: dum eum admiſit ad avitam hereditatem, quem ipſe avus, niſi mens humana ad futuros eventus caligaret, prae extranea, atque incerta perſona procul dubio fuiſſet vocaturus: dum denique, ſequutus aequitatis rationes, nepotem alieno, naturae legem aleae, ac ſorti praetulit: quis, quaeſo, negaverit, Principem optimum iuſtiſſimas habuiſſe conſilii ſui rationes?

XIII. Accedit, 3) quod, dum eo beneficio clariſſimum *Alamannum* dignatus eſt Princeps, nemini de intempeſtiva illa clementia conquerendi occaſionem dederit, nec ulli mortalium ius ſuum ademerit. Non ſane ei, qui per ſortem erat eligendus, quippe perſonae incertae: nec Illuſtriſs. Locumtenenti, Conſiliariis, & Senatoribus Antianis, quibus perinde eſſe videtur, quis *Uſimbardi* bona capiat, quum, ſive Princeps heredem nominet, ſive quis fortunae iudicio in bonis *Vincentii* ſuccedat, nec damnum inde, nec lucrum ullum ſentiant. Quum proinde neminis plane interſit, tabulas *Uſimburdi* exitum habere: id ſane eo magis incitare potuit Principem aequitatis amantiſſimum, ut *Alamanni* preces putaverit exaudiendas, quum facile animadverteret, nemini ex diſpoſitione illa *Uſimbardi* ius aliquod eſſe quaeſitum, adeoque id beneficium nepoti clementiſſime conceſſum cum nullius coniunctum eſſe iniu-

ria. Quae quum ita ſint, ne de eo quidem dubitari poſſe videtur, quin cauſſae, quae Principem celſiſſimum, *Io. Gaſtonem* ad hanc indulgentiam impulerunt, fuerint iuſtiſſimae.

XIIII. Quod ad tertium caput attinet, quaeſtio eſt: *III. An ea gratia Clariſſimo* Alamanno *recte, ac ordine facta, neque hic illam per obreptionem adeptus ſit?* Et hic omnino nihil eſſe videtur, quod in toto iſto negotio poſſit reprehendi. Quum enim 1) ſubreptio, vel obreptio dicatur, ſi preces veritate non nitantur, id eſt, ſi ab impetrante beneficium, vel id, quod ad rem facit, diſſimuletur, vel falſum quid pro vero ſuggeratur: in libello Clariſſimi *Alamanni* ſupplice, quo hanc gratiam impetravit, eorum nihil omnino deprehenditur. Refert, ſe nepotem eſſe teſtatoris *Io. Uſimbardi*: hunc Avum ſuum condito anno MDCLIX. teſtamento primo loco heredem inſtituiſſe *Vincentium* filium, eiuſque deſcendentes maſculos, deinde, his deficientibus, quinque fratres, quorum & nomina expreſſit, eorumque poſteros maſculos in infinitum, denique & his ſtirpibus omnibus exſtinctis, magiſtratui Locumtenentis, & Couſiliariis, nec non ſeptem Senatoribus Antianis id dediſſe negotii, ut e duodecim adoleſcentibus nobilibus a ſe nominatis, forte eligerent unum, cui illa hereditas cederet. Addit, *Vincentium* heredem eſſe ſuperſtitem, multiſque additis rationibus, cur ſit extraneo in ſucceſſione praeferendus, demum ſubnectit preces, ut Magnus Dux celſiſſimus mandare dignetur Conſiliariis, & Senatoribus, ne quem alium, exſiſtente ſucceſſionis caſu, quam ſe eligant, adeoque teſtamento *Uſimbardi* eatenus clementiſſime deroget. Hic ſane nihil diffi-

diſſimulatum, ac ſuppreſſum eſt, quod ad cauſſam pertineat, nihil ſuggeſtum, quod falſum ſit: ac proinde vix idonea ratio eſt, cur ſubreptionis vitium exprobretur reſcripto, quo glorioſiſſimae memoriae Princeps illam gratiam derogatoriam conceſſit.

XV. Deinde 2) res ipſa docet, non inconſulto impetu, ſed cauſſa cognita, & matura praevia deliberatione, illud beneficium clariſſimo *Alamanno* conceſſum eſſe. Litteras enim ſupplices Princeps tradidit Auditori, Locumtenentis, & Conſiliariorum, eumque, excuſsis circumſtantiis, de tota re referre iuſsit. Eo facto, (nihil enim reliqui feciſſe virum prudentiſsimum, *Franc. Antonium Bonſinium*, ut omnia, quae eo facere viderentur, accurate excuteret, ex ipſa eius relatione ſatis perſpicitur,) tum demum Princeps celſiſsimus adnuit *Alamanni* precibus, reſcripſitque: *Concedeſi come ſi propone, non oſtante ec.* Atqui inter omnes conſtat, locum non eſſe exceptioni ſub- & obreptionis, ſi quando reſcriptum, praevia cauſſae cognitione, prodiit [1].

XVI. Nec 3) obverti Clariſsimo *Alamanno* poſſe videtur, non citatos eſſe eos, quorum intereſſat, proinde ſaltim ex ea ratione reſcriptum non poſſe pro rite impetrato haberi. Nam, praeterquam quod iam ſupra oſtendimus, neminem eſſe, cuius quodammodo interſit, clauſulam illam teſtamenti ſalvam eſſe, etiam citationem in cauſsis, quas gratiae vocant, requirere non ſolent leges [2]. Immo ex ipſa laudati *Bonſinii*

 rela-

(1) *Rota Rom. Dec.* CCXXII. *n.* 9. §. 13 -- Menoch. *Conſil.* XX. *n.* 24. -- Gratian. *Diſc. for. Cap. DCCLXV. n.* 9.
(2) Felin. *in Cap. quum olim, de ſent. & re iud. num.* 6. *ſequ.* -- Gamma *Deciſ. Luſit.* CCLXVIII. *n.* 7. -- Tuſch. *Litt. P. Concl.* DCLXXXVIIII. *num.* 19. -- Gratian. *Diſcept. for.* CCCCLVIII. *num.* 25. *ſequ.*

Digitized by Google

relatione conſtat, nihil hic actum eſſe clam, vel inſciis dominis Conſiliariis, & Senatoribus, ſed hunc ipſum virum prudentiſsimum, antequam ad Principem referret, eorum exploraſſe ſententiam. Nam ſub finem relationis diſerte ſubiecit haec verba: *Il maggiore intereſſe è de' Clariſſimi Luogo-Tenente, e Conſiglieri, a i quali ſi compete l' ius certo, ed aſſoluto di far detta elezione, ed avendo loro partecipato le ſuddette Preci, mi hanno riſpoſto, che non intendono di opporſi, ma il concedere, o denegare la Grazia al ſupplicante, depende unicamente dalla ſomma clemenza di V. A. R.* Quum ergo ii ipſi, quibus electio heredis teſtamento demandata eſt, eas clariſsimi *Alamanni* preces non ignorarint, & interrogati ab Auditore, ſe illius deſiderio refragari nolle, teſtati ſint: ſane ne ſuſpicio quidem ſubreptionis cuiuſdam ſubnaſci poteſt, omniaque potius recte, & ordine geſta eſſe videntur.

XVII. Denique, his poſitis, probatu non admodum difficile fuerit. *IIII. Semel datam, hanc gratiam, & hodie ratam eſſe oportere, neque poſt celſiſſimi Principis*, Io. Gaſtonis, *Magni Ducis, exceſſum expirare potuiſſe*. Nam 1) gratiae derogatoriae, ut vocant, ea eſt natura, ac indoles, ut voluntatem defuncti teſtatoris mutet Princeps, legique teſtamento dictae, aliam ex ſua ſententia ſubſtituat. Sic hoc praeſente caſu teſtator ex duodecim adoleſcentibus nobilibus a Locumtenente, Conſiliariis, & ſeptem e Senatorum ordine nominatis unum, ſibi ſucceſſurum, ſorte eligi; Princeps autem clariſsimum *Alamannum*, perinde, ac ſi ipſo teſtatore vocatus eſſet, ad bona *Uſimbardiana* admitti, & ſucceſſorem nominari iuſsit. Atqui ſatis manifeſta

nifeſta

niſeſta videtur iuris noſtri ſententia, voluntatem illam poſteriorem, quae in locum voluntatis a teſtatore declaratae ſuccedit, ideo ratam eſſe debere, quod prior ſemel evanuit, neque adeo ullum poteſt effectum ſortiri. Refert ſane *Paullus*, *filiae ſuae ita aliquem legaſſe: Si Attia filia mea arbitratu L. Titii nupſerit, ei tot heres meus dato;* contigiſſe, ut Lucius ille Titius ante teſtatorem decederet, adeoque fieri non poſset, ut eius arbitratu nuberet teſtatoris filia: ac proinde eam ſibi conditionem ex ſui animi ſententia quaeſiiſse. Subortam ergo eſse quaeſtionem, an legatum ei deberetur? & *Paullus*, ea de re conſultus, deberi, reſpondit (1). Cuius profecto deciſionis non alia poteſt reddi ratio, quam quod, voluntate teſtatoris per praematurum L. Titii obitum ſemel turbata, ipſius filiae voluntas, quae iam eius voluntati ſurrogata fuerat, tantumdem operari debere videretur, ac ipſa teſtatoris diſpoſitio. Et alioquin notiſsimum eſt, ſubrogatum ſapere naturam eius, cui eſt ſubrogatum (2), Ac proinde, & voluntatem Principis, teſtatoris voluntati derogantis, ita in locum teſtamentariae diſpoſitionis ſuccedere oportet, ut haec plane evaneſcat, illa eumdem habeat effectum, quem haec, niſi a Principe eſset mutata, habitura fuiſset. Si vero voluntas teſtatoris eo ipſo momento, quo ei a Principe derogatum eſt, evaneſcit: conſequens eſt, ut gratia derogatoria a Principe conceſsa, ab eo die, quo conceſsa,

(1) L. 28. *pr. D. de condit. & demonſtr.*
(2) §. 29. *Inſt. de action.* -- Everard. *loc. argum. leg. a ſubrogat. n. 1. ſequ.* -- Molina *de primog. Hiſpan. Lib. IIII. Cap. IIII. n.* 36. -- Cravetta *Conſil.* DCCCCLXXIII. *n.* 4.

ceſsa, perfecta ſit, eiuſdemque roboris eſse debeat, ac ipſum teſtamentum, cui per illam derogatum eſt, maxime quum 2) voluntas Principis, teſtamento derogantis, ſit pura, ac ſimplex, non conditioni adſtricta, aut in tempus futurum collata, talis denique, qualem eſse oportere, tradit *Rota Romana*, dum definit apud Bichium (1) : *Gratia dicitur* facta, *quando perfecte conceditur ei, in cuius favorem datur, & independenter ab alio, cui facienda committitur*. Facienda *autem dicitur, quando non conceditur abſolute ei, in cuius favorem datur, ſed dependenter ab alio, cui facienda committitur*. Quare hoc caſu gratia a celſiſſimo Principe *Io. Gaſtone* profecta, procul dubio non erit *facienda*, ſed *facta*, ac proinde perfecta, ſuiſque abſoluta numeris, quum non ab alio pendeat, & ſola iſtius exſequutio demandata ſit illuſtri Locumtenenti, Conſiliariis, & ſeptem Senatoribus Antianis. At vero, 3) quod iam perfectum eſt a die conceſſionis, id profecto non poteſt morte concedentis exſpirare, licet vel maxime nondum fuerit exſequutioni mandatum : idque tam manifeſta iuris diſpoſitione nititur, (maxime quod ad gratias conceſſas attinet,) ut mirandum videatur, cuiquam mortalium ea de re dubitationem ſuboriri potuiſſe. Quid enim clarius verbis *Bonifacii* PP. VIII. (2) *Si ſuper gratia cuiquam ab Apoſtolica Sede facta exſequutores fuerint deputati : aequum eſſe cenſemus, ut ſicut ipſa* gratia, (*licet nondum ſit in eius exſequutione proceſſum*,) morte non perimitur, *ſic nec etiam re integra perimatur exſequu-*

toribus

(1) *Deciſ. DCLVIII. n. 9.*
(2) *Cap. Si ſuper gratia 9. de offic. & poteſt. iudic. deleg. in 6.*

Digitized by Google

toribus data poteſtas , quam veluti praedictae gratiae acceſſoriam naturam ſequi congruit principalis . Ex quo textu omnes iuris canonici interpretes veluti ex compacto eliciunt concluſionem , diſtinguendum eſſe inter gratiam *factam* , & *faciendam* . Nam poſteriorem morte concedentis exſpirare : at ubi iam facta , ac perfecta ſit , nec ipſam gratiam conceſſam, nec datam exſequendi poteſtatem morte concedentis extingui (1) . Accedit 4) quod haec gratia non ex ſola Principis effuſa clementia profecta , ſed , praevia cauſſae cognitione , conceſſa eſt : de tali vero gratia non dubitatur , quin & concedente mortuo ſalva , atque incuſſa eſſe debeat (2) .

XVIII. Nec 5) clariſſimo *Alamanno* obverti poſſe exiſtimamus textum (3) , ex deſumptum , ubi *Bonifacius* Papa VIII. (4) *Si cui* , inquit , *nulla perſonarum facta expreſſione , ſit gratioſe conceſſa facultas , ut auctoritate Apoſtolica poſſit aliquibus perſonis idoneis in certa Eccleſia providere , & beneficia , (quorum collatio eſt ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta ,) conferre , contradictores eadem auctoritate per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo : huiuſmodi conceſſio , quam , quum ſpecialem gratiam contineat , decet eſſe manſuram , non exſpirat etiam re integra per obitum concedentis : ſecus ſi ſuper proviſione certae*

(1) Roland. *a* Valle *Conſil. III. n.* 30. *Vol. I.* -- *Idem Conſil. XXXXV. n.* 13. *Vol. III.* -- Tuſch. *Cardin. Pract. Concl. litt. G. concluſ.* 68. *& plures ibi laudati* .

(2) *Rot. Rom. Deciſ. XII. num.* 1. *apud* Duran. *Deciſ. CCCCLXXXXVII. num.* 21. -- Anſald. *Deciſ. CCCXXXVI. n.* 29. *Part. IIII. Tom. II.* -- Cyriac. Capyc. *Controv.* 58. *n.* 18.

(3) *Cap. Si cui* 36. *de praebend. in* 6.

(4) *Dict. Cap. Si cui* 36. *de praeb. & dign. in* 6.

certae perſonae facienda *ſit data poteſtas eidem*, *non ob ſuam*, *ſed eius*, *cui provideri mandatur*, *gratiam*, *vel favorem: illa quidem exſpirat omnino*, *ſi concedens*, *re integra*, *moriatur*. Nam praecipua circumſtantia, quae in laudato *capitulo* exprimitur, praeſenti ſpeciei minime quadrat: nec hic quaeſtio eſt de proviſione *facienda* ſuper perſona certa, ſed de *iam facta*, cuius exſequutio tantum mandata eſt illuſtri Locumtenenti, Conſiliariis, & Senatoribus Antianis.

XVIIII. Nec magis 6) clariſſimo *Alamanno* opponenda videtur vulgatiſſima iuris regula, mandatum morte mandantis evaneſcere (1). Praeterquam enim, quod hic non eſt ſimplex mandatum, ſed iuſſum Principis, cuius exſequutio tantum certis perſonis demandata eſt: nulla etiam ratio reddi poterit, cur mandatum teſtatoris, iubentis ſibi ſucceſſorem a certis perſonis deſignari, & forte eligi, moriente teſtatore non exſpirarit, at exſpirarit contra mandatum Principis, clariſſimum *Alamannum* eligi iubentis, eo, quod antequam exſequutioni mandari potuerit, rebus humanis exceſſerit.

XX. Denique, 7) quod vel maxime clariſſimo *Alamanno* obſtare creditur, Supremi Magiſtratus decretum d. 6. Aug. MDCCXXXVII. factum, eius cauſſam iugulare plane non videtur. Quamvis enim eo SCto omnes gratiae, quas exſpectativas vocant, a glorioſiſſimae memoriae Principe, *Io. Gaſtone*, conceſſae, irritae declarentur: ex verborum tamen συναφῇ ſatis intelligitur, totum iſtud decretum pertinere ad officia, ac dignitates, de quibus in an-

(1) *L.* 26. *D. mand.* -- *L.* 27. §. 3. *D. eod. tit.* -- *L.* 57. *L.* 58. *D. eod. tit.*

anteceſſum quibuſdam proſpexerit Princeps fatis functus. Dignitatum enim collationem, quae ad iura maieſtatis immanentis pertinent, merito ſalvam eſſe oportet ſummo Principi ſucceſsori, nihilque adeo aequius eſt, quam, ſpem illarum potiundarum a deceſsore factam, eius exceſſu, evaneſcere, ne partes reipublicae non perſonis exploratae fidei, ac virtutis, ſed Principi imperanti incognitis, & a deceſſore in anteceſsum deſignatis, credere cogatur. At gratia, clariſſimo *Alamanno* facta, non ad officia, & dignitates, ſed ad ſucceſſionem in privati bona pertinet, nec potentiſſimi ſucceſsoris iuribus quidquam decedit, ſi illa exſequutioni mandetur. Immo nec eius, nec reipublicae, intereſt, incertane perſona, & forte demum eligenda, an clariſſimus *Alamannus Vincentii* defuncti bona poſſideat. Ac proinde ne veroſimile quidem eſt, talem gratiam privato ereptam voluiſse Magiſtratum Supremum, dum *ſuperviventias*, quas vocant, SCto revocavit. Et haec quidem ſunt, quae pro clariſſimi *Alamanni* cauſsa adferri poſse videntur, quaeque a conſiliorum, & reſponſorum, quae nobis exhibita ſunt, Auctoribus conſultiſſimis tam luculenter expoſita, illuſtrataque ſunt, ut plura addendo actum agere noluerimus.

XXI. Quantumvis vero ſpecioſa ſint haec argumenta: nobis tamen potior videtur ſententia eorum, qui illibatum eſse oportere *Uſimbardi* teſtamentum, gratiamque derogatoriam a clariſſimo *Alamanno* impetratam, nec iure ſubſiſtere, &, ſi ſubſiſteret, celſiſſimi Principis concedentis exceſsu illico exſpiraſse, contendunt. Quod ut eo rectius intelligatur, eumdem, qui antea placuit, ordinem obſervare, &,

 quid

quid de quatuor iſtis ſummis capitibus ſentiendum ſit, paullo accuratius expendere, iuvabit. Quaeritur ergo I. *An in ſupremi Principis poteſtate, atque arbitrio ſit, derogare ultimis teſtatorum voluntatibus?* (1) Quod qui indiſtincte adfirmant, illos manifeſto exceptionem pro regula accipere, exiſtimamus. I. Si de regula quaeritur, Principis poteſtas eo non-eſt

(1) *Longe diverſa eſt inſpectio altera: „ an populorum Rectoribus facultas ſit fideicommiſſa ſive iam condita, ſive instituenda ſpeciali reſcripto, aut generali ſanctione reſtringendi, vel omnino abrogandi „ quam ſane poteſtatem nefas eſſet in dubium revocare, quia ſicuti facultas condendi fideicommiſſa conceſſa fuit a ſolo Iure Civili, a quo primum videmus ſancitum, ut eſſent obligatoria, idcirco Princeps licite poteſt adimere hanc facultatem, quae ſuum beneficium eſt, ita liberando Poſſeſſorem ab onere reſtitutionis, quemadmodum diſſerit Celeb.* ICtus Iacobus Agnenius *in eruditiſſimo Reſponſo edito pro Clariſſimis XII. Senatoribus, & Nobili Iuvene eligendo* §. *cui ſuccedit. Illuſtre huiuſce rei prebet exemplum lex Pontificia, quae* Bullae Baronum *nomine vulgo venit, quamque ſolide defendit* Card. De Luc. *[magnum inter ICtos Italos nomen]* in diſc. 74. n. 15. de feudis; *obſervat enim famigeratus Autor apud omnes Europae Principes huiuſmodi facultatem exerceri favore publico libertatis, & facilitatis commercii, qui favor privato* Commodo, *ex fideicommiſſorum beneficio reſultanti præferendus eſt; Et quamvis etiam fideicommiſſorum favor publicus eſſet dicendus, prependerans tamen videtur libertas publici commercii, in quo caſu cauſatur commodum tractantium de damno certo vitando, incommodum vero, & praeiudicium ut plurimum eſt tractantium de futuro incerto, & eventuali lucro, quod ex fideicommiſſi vocatione ſperant, cum regula capienda ſit a communiter accidentibus, licet aliquando etiam iuri iam delato. & quaeſito praeiudicetur. Huc etiam pertinent ea, quae docte more ſuo tradidit* Ill. Hertius de Colliſione Legum Sect. 4. §. 23.

eſt porrigenda, ut morientium voluntates ſuo arbitrio ſubvertere, mutare, alioſque, quam quos teſtator voluit, heredes pro lubitu ad ſucceſſionem vocare poſſit. Idque facile demonſtramus.

XXII. Nam 1. ipſa recta ratio oſtendit, non ex alia cauſsa homines, relicta poſt tergum libertate naturali, in civitates, ac reſpublicas coaluiſse, Principibuſque ſe ſubieciſse, ac magiſtratibus, quam ut ſecuri tum a vicinorum armis, tum a concivium iniuriis, iure ſuo fruerentur. Viderunt hanc cauſsam omnes ſapientes, qui in rerumpublicarum origines, ac cauſſas paullo diligentius inquiſiverunt. Sic Cicero (1): *Hanc ob cauſſam*, inquit, *maxime*, ut ſua tenerent, *reſpublicae, civitateſque conſtitutae ſunt*. Et quibuſdam interiectis (2): *Id eſt proprium, ut ſupra dixi, civitatis, ut ſit libera, & non ſollicita ſuae rei, cuiuſque cuſtodia*. Quin ipſe Apoſtolus, dum preces

 nos

§. 23. „ *reipublice intereſſe* [*ait*] *ut licentia res teſtamento* „ *transferendi conſtringatur, nam Oligarchiis, & Democratiis* „ *interitum ab immodica teſtandi licentia acceſſitum teſtatur* „ *Ariſtoteles 2. Pol. 7. & 9. Hanc ob cauſam Hamburgi, &* „ *Lubecae de bonis hereditariis ſine conſenſu heredum legitimorum* „ *teſtari licet nemini. Iuſ. Hamburg. p. 3. tit. 1. art. 4.* „ *ſeqq., Lubec. lib. 2. tit. 1. art. 14. lib. 3. tit. 7. art. 2.* „ *In Geltria neque res ſoli, neque bonorum univerſitas teſtamentis* „ *fideicommiſſis, vel legatis transferuntur. Non itaque* „ *hic atteruntur ſubditorum bona litibus de teſtamentorum* „ *internis, vel externis vitiis, vel ſuorum heredum de inoffi-* „ *cioſo Teſtamento, ac praeteritione liberorum non emancipato-* „ *rum querelis, nec controverſiis de ſubſtitutionibus, ac fidei-* „ *commiſſis, unde paſſim alibi Patronis forenſibus eſt optima* „ *meſſis, ut differit Frideric. a Sande deſcript. Geltriae p. 147.*

(1) *Lib. II. de offic. Cap. XXI.*

(2) *Idem ibid. Cap. XXII.*

nos fundere iubet pro Regibus; & Magiſtratibus (1), *ut ſub iis quietam, & tranquillam vitam ducamus, in omni pietate, & honeſtate*; hunc ipſum rerumpublicarum, civitatumque finem perſpicue oſtendit. Si vero haec vera ſunt, uti ſunt veriſſima: conſequens profecto eſt, ut ad Principis officium pertineat, ſua cuique iura ſarta tecta praeſtare, nec ulli ius ſuum adimere, quod illi ſemel iuſto, ac legitimo modo quaeſitum eſt.

XXIII. Iam 2) nemo, ut opinamur, inficias ibit, id ius legitimo modo quaeſitum dici, quod nobis leges vel indulgent, vel addicunt. Leges autem ipſae primum unicuique indulgent, ut de rebus ſuis, prout lubet, ſupremo iudicio diſponat. *Paterfamilias, uti legaſſit, ita ius eſto* (2). Eaedem deinde leges hoc praeſidium circumpoſuerunt illis morientium tabulis, ut non ſint caſſa eorum iudicia, nihil eſſe, ſtatuentes, quod magis hominibus debeatur, quam ut ſupremae voluntatis, poſtquam aliud velle homines non poſſint, liber ſit ſtilus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium (3). Denique iiſdem legibus tanta providentia, & teſtatorum libertati, & ſecuritati inſtitutorum heredum conſulitur, ut ipſi Principes, ſibi hanc facultatem teſtamenta privatorum ſuo arbitrio evertendi, mutandive ultro ademerint, atque abiudicarint, dum reſcripſerunt (4): *Si*

te-

(1) 1. *Timoth. Cap. II. v. 2.*

(2) *L. 120. D. de verbor. ſignif.*

(3) *L. 1. C. de Sacroſ. Eccleſ. Videnda tamen ſunt, quae ſuper hac lege recte obſervat ſummi iudicii vir Chriſtianus Thomaſius de cautel. Teſtament. c. 1. §. 3., & in diſſ. de origin. ſucceſſ. Teſtament. §. 18. in not. lit. a, & in notis ad Huber. de Iur. Civit. lib. 2. ſect. 6. cap. 6. n. 6. lit. h. verb. bene ac merit.*

(4) *L. 10. C. de teſtam.*

Digitized by Google

teſtamentum iure factum ſit, & heres ſit capax, au- ctoritate Reſcripti noſtri *reſcindi non oportet*. Si ergo ius cuiuſque tueri non auferre, eſt Principis, id vero cuiuſque ius eſt, quod leges indulgent, & attribuunt: ad officium eius etiam pertinebit, tueri, ſuprema hominum iudicia.

XXIV. Sed fatendum eſt; II. regulam hanc non carere exceptione, ac proinde poſſe Principem aliquando ultimas voluntates etiam legitimas, (de iniuſtis enim, & irritis nemo dubitat,) reſcindere, vel mutare, ſed non, niſi ſi id exigat neceſſitas, vel ſalus reipublicae, quam Principi ſupremam legem eſſe decet. Nam 1) quum omnia conceſſa cenſeantur Principi; ſine quibus finem reipublicae, puta ſecuritatem, ac ſalutem civium, obtinere non poſſet: huic ſupremae legi merito etiam cedunt Civium teſtamenta. 2) Quum Princeps, emergente tali caſu, contra ipſas leges aliquid indulgere, earumque auctoritatem per diſpenſationem ſuſpendere poſſit: licebit ei etiam, urgente neceſſitate, vel ſuadente reipublicae ſalute, efficere, ut veluti tantiſper dormiat lex illa decemviralis: *paterfamilias, uti legaſſit, ita ius eſto*. Neque tamen 3) id ſine iuſta cauſſa, & in alterius tantum gratiam, faciet Princeps: (quid enim aliud id eſſet, quam ius uni quaeſitum auferre, ut alterum beneficio adficiat?) ſed ſola exigente ſalute reipublicae. Quemadmodum enim leges non ob aliam cauſſam, quam quod reipublicae utiles, ac ſalutares futurae ſint, feruntur: ita nec ob aliam cauſſam, quam ob reipublicae ſalutem vel refigi, vel mutari debent. Immo ne indulgere quidem quidquam contra legem licebit, ſine gravi, ac ido-

idonea cauſſa, ſi vel maxime alterius non interſit, ne dum promiſcue gratia ſit legum, ipſa earum vis, atque auctoritas evileſcat (1).

XXV. His obſervatis, 4) non difficile erit, ea, quae in contrarium ſupra adlata ſunt, ſolide refellere. Quod enim ad veterum ICtorum teſtimonia attinet, iis nihil aliud probatur, quam poſſe Principem indulgere, ut legata municipio pecunia, exigente id neceſſitate, vel reipublicae ſalute, in alios uſus, quam quibus eam teſtator deſtinaverat, convertatur. Hinc diſertis verbis monet *Calliſtratus*, id procedere (2), *ſi ſatis operum civitas habeat, & non facile ad ea reficienda pecunia reperiatur, ut ſatius ſit pecuniam, quae in nova opera legata eſt, in tutelam eorum operum, quae iam exſtant, convertere, quam ad inchoandum opus nova erogare*. Hic ergo commutationem iſtam legati manifeſto requirebat ſalus municipalis iſtius reipublicae. Sed & *Modeſtino* ſimilis obverſabatur ſpecies. Nam *legatum civitati ea lege relictum erat, ut ex reditibus quotannis in ea civitate memoriae conſervandae defuncti gratia ſpectaculum celebraretur, quod illic celebrare non liceret* (3). Hic vero mutationem legati ipſa requirebat neceſſitas, ſive leges huic ſpectaculo obſtiterint, ſive legibus omnibus potior religio. Exigente vero Principis indulgentiam vel neceſſitate, vel ſalute reipublicae, nihil obſtare bono Principi, quo minus talem gratiam indulgeat, ipſi paullo ante ultro ſumus largiti. Quis vero non videt, diverſiſſimam

(1) Puſendorff. *de iur. nat. & gent.* Lib. I. Cap. VI. §. 17.
(2) *L. 7. pr. D. de oper. publ.*
(3) *L. 16. D. de uſu, & uſufr. leg.*

mam ſpeciem eſſe nobis oblatam? Nulla ſane eſt, quae *Uſimbardi* teſtamentum, recte & iure factum, everti, ac mutari, urgeat, neceſſitas, quum nec lex, nec religio impediat, quo minus exitum habeat vel nominatio duodecim iuvenum nobilium, vel memorabilis iſta electorum ſortitio? Nec ulla poteſt reddi ratio, cur mutatio huius teſtamenti, in gratiam clariſſimi *Alamanni* facta, ad rempublicam, eiusque ſalutem pertineat, Principi ius fuerit, illum vocandi ad ſucceſſionem, quem teſtator non vocaverat. Deinde circa eoſdem veterum ICtorum textus, iam pridem monuerunt doctores celeberrimi, permultum intereſſe, utrum quid ad publicum, an privatum, relictum, legatumve ſit. Poſteriora non poſſe nec debere ulli gratia Principis auferri, quia nemini ius quaeſitum ſine iuſta, & idonea cauſſa ſit adimendum (1). Quod vero ad uſum publicum relictum ſit, id nullius omnino diſpoſitioni magis ſubiacere, quam Principis, cuius eſt publica omnia in publicam utilitatem vertere, adeoque & legatum, quod ſalva reip. ſalute uſui teſtamento definito adhiberi non poteſt, alii, qui reipublicae ſalubrior videatur, adhibere (2). At ne ea quidem obſervata diſtinctione, textus illi ſupra laudati ſpeciei noſtrae quadrant, quum hic non quaeratur de legato in publicos uſus relicto, ſed de hereditate, privato, cui ſortis iudicio obventura ſit, a teſtatore deſtinata, in quam Principi nihil temere iuris eſſe, vidimus.

XXVI.

(1) L. 2. §. 10. D. *ne quid in loc. publ.* — L. 4. C. *de emanc. lib.*
(2) Covarruu. *Var. Lib. III. Cap. VI. n.* 7. — M. Ant. Peregr. *de fideicommiſſ. Art.* LII. *n.* 160. — Stryk. *Diſſ. de iure Princ. circa mort. indic.* Cap. II. §. 3. & 5.

XXVI. Multo facilius 5) altera eliditur dubitandi ratio, quippe a ſola ICtorum Principi id ius vindicantium auctoritate deſumta. Praeterquam enim quod leve admodum in tanta doctorum turba eſt argumentum ab eorum ſuffragiis deſumtum, ipſaque docet experientia, illis plerumque non minorem diſſentientium cohortem opponi poſſe: etiam eorum, qui pro iure Principis citantur, vix ullum eſſe exiſtimamus, quin hanc ſententiam ſuam limitationibus quam plurimis reſtringat, gravemque eſſe oportere fateatur cauſſam, quae ſubigere poſſit Principem, ut ultimam voluntatem ullius civis reſcindat. Iuſtiſſimam ſane, & idoneam cauſſam exigunt alii, veluti Baldus, Angelus, & Paul. de Caſtro (1) aliis Princeps id facere non poſſe videtur, niſi ex neceſſitate, adeo, ut ſola Principis voluntas non ſufficiat (2): alii ſaltim reipublicae ſalutem talem mutationem, vel tranſlationem exigere, ponunt, eaque deficiente cauſſa, illam fieri poſſe negant (3).

XXVII. Quod 6) ad iura Principum circa ſubditorum bona, dominiumque, quod iis competit, eminens attinet: ne eo quidem argumento obtineri poteſt, Principem ſuo arbitrio poſſe ultimis civium voluntatibus derogare. Ius enim illud Principis in eo poſitum eſt, ut, primo quia reip. expedit, ne quis re ſua male utatur, poſſit leges ferre, quomodo quiſque bonis ſuis recte uti debeat: deinde ut inde tributa & vectigalia ad tuendam, conſervandamque rempublicam neceſſaria iure exigat: denique ut poſſit,

(1) *Ad l. Si teſtamentum 10. C. de teſtam.* — *Idem* Bald. *Conſil. LXXXII. col. 1.*

(2) Salycet. *ad. d. l. 10. C. de teſt.*

(3) Cravetta *ibid.* — Ant. Pinell. *in rubr. C. de reſcind. vend. P. II.*

ſit, urgente neceſſitate, & ſalute publica, civium bona in reipublicae uſum convertere, vel corrumpere (1). At horum quoque nihil fieri animadvertimus, ſi quando teſtamento derogat Princeps. Non tunc legem praeſcribit civibus, quomodo uti bonis debeant: ſed contra leges iis adimit libertatem de rebus ſuis diſponendi. Neque tunc tributum exigit, ſed de ipſis bonis alienis diſponit, ut alii, quam cui ex voluntate teſtatoris debentur, obveniant. Denique nec illa civium bona in reipublicae utilitatem erogat, ſed ea alii, cui in illis nullum ius eſt, elargitur, cum alterius, cui ſummo iure competebant, iniuria. Quare ex iſto Principis iure, quod dominii eminentis nomine inoluit, poteſtas illa promiſcua mutandi ultimas voluntates adeo non poteſt inferri, ut potius recte inde colligatur, eam ſibi non adrogaturos eſſe Principes, quia nec leges praeſcribere civibus, nec tributa exigere, nec dominio eminente uti poſſint, niſi urgente neceſſitate, & ſalute reipublicae.

XXVIII. De ſequente dubitandi ratione non eſt, quod multum laboremus, quum hic non de praetorum Romanorum, ſed de Principum, iuribus agatur. Neque ſequitur, ut quod praetores Romani fecerunt, id & ſibi bonus Princeps licere velit. Multa enim auſi ſunt praetores, quae iure illis non competebant, multaque, quod *Dio Caſſius* iam obſervavit, in gratiam, & odium certorum hominum ſtatuerunt (2). In his praetorum

ar-

(1) Puſendoff. *Lib. VIII. Cap. V.* §. 3. 5. 6. 7. -- Boecler. *ad* Grot. *de iure belli, & pac. Lib. I. Cap. I.* §. 6. *& Diſſ. ſing. de dominio eminent.*

(2) Dio Caſs. *Lib. XXXVI. p.* 21.

Digitized by Google

artibus, & haec fuit, quod leges de teſtatorum inteſtatorumque ſucceſſionibus, invento novo *Bonorum Poſſeſſionis* vocabulo, eluderent. At quia tamen cavebant, ne quid directe contra leges edicerent, neminique temere dabant bonorum poſſeſſionem, quem leges a ſucceſſione expreſſis verbis excluſum voluiſſent: paullatim aequitatis ſpecie id praetoris inventum ſeſe commendavit civibus (1), & demum uſu fori probatum, iuris ſcripti auctoritatem propter vetuſtatem obtinuit (2). Iam unuſquiſque intelligit, ex ea bonorum poſſeſſione ad Principis poteſtatem derogandi teſtamentis non poſſe duci argumentum. Praetor enim dum bonorum poſſeſſionem contra tabulas dabat, agebat aliquid ſecundum edictum, quod iuris ſcripti auctoritatem obtinuerat: Princeps, derogans teſtamento, agit contra legem, & contra ius ſcriptum, quod ipſe tamen probavit, ſubditiſque ſacroſanctum eſſe voluit. Praetor nullius ius intervertit. Poſtquam enim edictum ſuum ſemel adprobavit populo: ſatis ex eo intellexerunt cives, non praetereundos eſſe liberos emancipatos. Si quis ergo eos contra hoc ius ſcriptum praeteriiſſet: nec teſtatori fiebat iniuria, nec heredibus inſtitutis, ſi tabulae reſcinderentur, quia ille contra ius teſtatus, hi contra iuris regulas inſtituti fuerant. At Princeps privati tabulis derogare non poteſt, quin vel teſtatori veluti poſt mortem, vel heredi ſive vivo, ſive futuro, & nihil tale merito, quodammodo fiat iniuria, & huius ſaltim ius intervertatur. Denique bonorum poſſeſſio contra tabulas erat ius ordinarium,

(1) *L.* 7. §. 1. *D. de iuſt. & iur.* — *L.* 8. *D. eod.*
(2) Cicero *de invent. Lib. II. Cap.* XXII.

rium, nemini habili, qui id in tempore petebat, denegandum. Princeps teſtamenti extra ordinem, & per modum privilegii derogat. Tale autem privilegium, quod ius quaeſitum alicui adimit, adeo non concedit Princeps, ut illud per ſubreptionem impetratum, nullum eſſe iubeat (1). Quare tam diverſa eſt bonorum poſſeſſionis praetoriae, & derogationis a Principe poſtulatae natura, ac indoles, ut niſi quis a diſparatis, quae vocantur, ad diſparata argumentum duci poſſe exiſtimet, eo argumento neminem uſurum eſſe exiſtimemus.

XXIX. Porro ſi 9.) vel maxime largiamur, teſtamentifactionem non ex iure illo communi, quod ipſa recta ratio inter omnes homines conſtituit, ſed ex legibus Romanorum civilibus promanare, idque ex illo intricatiſſimo fictionum cinno, cui totum illud negotium implicatum eſt, luculenter probari poſſe videatur: ex neutro tamen conficitur, Principibus omnia debere adverſus ſuprema hominum iudicia licere. Poſſunt ſane, quae iuris civilis ſunt, in univerſum a ſummis Principibus tolli, mutari, emendari, eoque iure ſuo illos quotidie fere uti, animadvertimus: at non poſſunt, non ſublato, mutatove illo iure civili, id quod ex eius praeſcripto actum eſt, irritum pronunciare, vel cuiquam ius ex illo quaeſitum auferre: quia illud aliquando exigit reip. ſalus; hoc cum ſumma rerum confuſione, detrimentoque rei publicae foret coniunctum. Sic iuris civilis, non gentium, ſunt uſucapiones, & praeſcriptiones: ſed & meris fictionibus nituntur actiones re-

(1) *Rubr. & l. ult. C. ſi contra ius vel. util. publ. vel per mendac. fuer. aliquid poſtul. vel impetrat.*

Digitized by Google

reſciſſoria, & in rem Publiciana, ac proinde dubitare nefas eſſet, quin ſummo Principi haec omnia iuris civilis inventa ita vel tollere, vel mutare liceat, prout id exigat ſalus rei publicae. At ſi quis tamen Principum, iuribus illis non ſublatis, mutatiſve, civi ius ſuum praeſcriptione legitime quaeſitum intervertere, vel abſenti reip. cauſſa beneficium iuris communis denegare, vel eius, qui rem bona fide, iuſtoque titulo, traditam acceperat actionem contra poſſeſsorem titulo plane deſtitutum non admittere vellet: nonne hic iure quodam ſuo, ſibi iniuriam fieri, conquereretur? Ita & diſpenſare, uti aiunt, vel indulgere aliquid procul dubio poteſt Princeps contra ius civile, ſed ea tamen indulgentia nemini decet ius quaeſitum intervertere. E. g. nihil impedit, quo minus Princeps gratiam delinquenti faciat poenae iure civili invectae, quia clementia iſta raro cum ullius iniuria, damnoque coniuncta eſt. At ſi quem contra teſtamenti leges iubeat eſſe heredem, ad quem hereditas non pertinet, fieri non poteſt, quin ea indulgentia ſimul hereditate privetur is, ad quem illa redire iure debebat, adeoque alicui ius ſuum invito adimatur. Quod quum nec poſſit, nec velit bonus Princeps: conſequens profecto eſt, ut nec teſtamentis, eo quod iuris civilis ſit teſtamentifactio, pro lubitu derogare poſſit, ſed tum demum, ſi id exigat ſalus rei publicae, vel cum nullius detrimento coniuncta ſit illa indulgentia.

XXX. Et ſic 10) & ultimae, quam adduximus, rationi dubitandi ſatisfieri poſſe credimus. Teſtamentum quidem lex eſt, quam quis privatim rebus ſuis

dicit,

dicit, ſed eadem lex privata lege publicâ ita eſt firmata, ut aeque valere iure optimo debeat, ac ſi ab ipſo Principe eſſet profecta. Quemadmodum ergo hic leges nec fert, nec tollit, nec mutat, niſi id rei publicae exigat utilitas, nec quidquam contra leges indulget, quod ad alicuius iniuriam pertinet: ita nec ſine illa graviſſima ratione teſtamentum alicuius, legibus ſacroſanctum, vel tollet, vel mutabit, vel ulli mortalium ius ſuum ea indulgentia ſua intervertet. Et haec quidem de primo capite, quo bonum Principem teſtamentis, ſine graviſſimis cauſſis, derogare nec velle, nec poſſe demonſtravimus.

XXXI. Sed & quod ad alterum caput attinet, II. *an in praeſenti ſpecie iuſtae, ac idoneae allegentur cauſſae, quae glorioſiſſimae memoriae Principem*, Io. Gaſtonem, *ad reſcindendas* Uſimbardi *tabulas impellere potuerint?* nos non intelligere fatemur, eius generis cauſſam, quae ad id ſuffecerit adlegari. Quum enim ſupra oſtenderimus, talem derogationem tantum publicae ſalutis cauſſa fieri, & nulli ius auferre debere: neutrum dici poteſt de indulgentia, cl. *Alamanno* conceſſa. 1) Nihil ſane inde emolumenti ſperare poteſt reſpublica, ſi cl. *Alamanno* hereditas obvenerit: nec ullum eadem detrimentum captura eſt, ſi *Uſimbardo* ſucceſſor ſorte invenietur: immo potius perinde eſt rei publicae, utrum ille, an hic, bonis fruatur.

XXXII. Contra 2) permultum intereſt rei publicae, ſuprema hominum iudicia, ipſaſque leges, quae ea rata, ac veluti ſacroſancta eſſe iubent, ſalva, ac illibata eſſe: quia alioquin nemo de ſucceſſore ſuo,

&

& iure ſibi a legibus attributo, certus eſſe poſſet. 3) Per hanc indulgentiam Illuſtri Locumtenenti, nec non Conſiliariis, & Senatoribus Antianis ius nominandi, quod illis ex *Uſimbardi* tabulis competit; illi vero perſonae, cuius ſors fuiſſet exitura, ius ſuccedendi adimitur, adeoque nec eam gratiam ſine ullius iniuria conceſſam eſſe dici poteſt. Neque profecto 4) rem conficiunt, quas ſupra adduximus, rationes. Prima enim ideo ad rem non facit, quod iam non id agitur, ut *Uſimbardi* teſtamentum querela nullitatis impugnetur, ſed ut Princeps aliquid contra illud indulgeat. Quo ipſo petito Clariſſimus *Alamannus* tabulas illas, tamquam iure factas, agnoſcit; quia quae nulla ſunt, nec reſciſſione, nec Principis indulgentia indigent (1).

XXXIII. Deinde ſatis notum eſt, pleroſque exiſtimare, diſpoſitionem illam iuris civilis, quae teſtamentorum iura ab arbitrio alienae voluntatis pendere debere negat, iure Pontificio ſublatam, & talia teſtamenta omnino eo iure confirmata eſſe, & quidem (2) in quo Pontifex, eum, qui extremam voluntatem alterius diſpoſitioni committit, non videri inteſtatum decedere, ait. Ex quo nonnulli colligunt, eo iure illum, cuius in arbitrium voluntatem ſuam confert teſtator, quaſi heredem cum onere, de re diſponendi in aliorum favore, inſtitutum eſſe cenſeri, atque ex eo fundamento valere diſpoſitionem, etiam in alterius collatam arbitrium (3). Quod quamvis fal-

ſum

(1) *L. 16. pr. D. de minorib.* -- *L. 2. C. de filiof. min.*
(2) *Cap. 13. X. de teſtam.*
(3) Covarrv. *ad d. Cap. 13. n. 13.* -- Peralta *in rubr. tit. D. de her. inſt. num. 22.* -- Mancin. *Genial. Cap.* CX. Zoeſ. *ad tit. X. de teſtam. n. 24. ſub fin.*

Digitized by Google

ſumi videatur ; ergo proinde interpretes doctiores, adhibita in conſilium eius capituli hiſtoria, iunctoque *Cap. 18. X. de verb. ſignif.* iam pridem oſtenderint, Pontificem loqui tantum de clericis, non de aliis; nec abſciſſe illos pro teſtatis habere, qui ultimam voluntatem in alienum arbitrium contulerint; ſed tantum contemplatione Epiſcopi, cui alioquin bonorum ab inteſtato relictorum diſpenſatio fuerat mandata (1): error tamen paullatim ius fecit, non modo in Hiſpania, de qua laudatus *Gonzalez* teſtatur, ſed & in aliis quibuſdam provinciis. Quumque talia exempla non pauca recenſeantur in *Reſponſis* nobiſcum communicatis, dubitare vix poſſumus, quin moribus, & in Hetruria inoleverint eiuſmodi teſtamenta, adeoque illa, ſi non in iure ſcripto, ſaltim in conſuetudine, praeſidium reperiant, nullaque eſſe videatur ratio, cur quum aliorum, qui ſibi heredem per ſortem ex ipſis orphanotropheis inveniri iuſſerunt, teſtamenta valuerint, *Uſimbardi* tabulae ex ea cauſſa ſint reſcindendae.

XXXIV. Nec magis ad infirmandam hanc teſtamenti *Uſimbardiani* clauſulam ſufficere arbitramur ſecundam rationem, quamvis eam a Clariſſimo *Alamanno* in libello ſupplice in primis urgeri animadvertamus, quod nempe aequum videatur, nepotem ex filia perſonae incertae, & per ſortem demum inveniendae, praeferri. Nam primo ob eamdem rationem omnia morientium iudicia, quibus extraneos heredes propinquis praetulerunt, impugnari poſſent;

(1) Gonzalez. Tellez *ibid. p.* 498. -- Thomaſſin. *P. III. de diſcipl. Eccleſ. l.* 11. *c.* 47. §. 5. *ſequ.* -- Boehm. *Iur. Eccl. Lib. III. tit.* 26. §. 30.

quum non minus aequum ſit cognatos aliis extraneis, quam nepotem perſonis incertis praeferri. Ex eadem ratione ne fratres quidem *Uſimbardi*, eorumve poſteri, ſi qui *Vincentio* fuiſſent ſuperſtites, bona, tamquam heredes ſecundi, adire potuiſſent, quum aequitas procul dubio velit, ut deſcendentes teneriore adfectione, quam e latere cognatione junctos complectamur. At quum talis aequitas fini, & naturae teſtamentifactionis repugnet, quippe ideo inventae, ut qui leges de ſucceſſione legitima valere in ſuis facultatibus nolunt, alium ſibi heredem ſcribere poſſint: facile intelligitur, non eſſe hanc idoneam rationem derogandi *Uſimbardi* tabulis, quod perſona extranea, ac incerta ſit nepoti praehabita. Deinde non eſt dubitandum, quin Clariſſimi *Alamanni* mater dotis nomine a patre tantum acceperit, ut ſe in portione legitima laeſam, conqueri non potuerit. Neque enim credibile eſt, eam agnituram tabulas paternas, ac non potius ad ſupplendum, quod legitimae deerat, acturam cum fratre fuiſſe, niſi ſalvam ſibi eſſe animadvertiſſet hanc legitimam. Ea vero accepta, non poteſt denegari parentibus poteſtas, qualeſcumque ſibi ſcribendi heredes, etiam extraneos: nec ei ſuo hoc iure utenti obſtat aequitas, quae militat pro liberis.

XXXV. Tum porro fruſtra fingitur, *Uſimbardum*, ſi toti familiae maſculae, tam numeroſae triſte iſtud fatum, incumbere praeſciviſſet, rationem omnino habiturum fuiſſe nepotis: itemque, eum ſibi perſuaſiſſe, filiam potius inituram monaſterium, quam viro nupturam. Quamvis enim praeſumtae voluntatis teſtatoris ratio habeatur in interpretandis verbis dubiis; in iis tamen,

quae

quae verbis apertis diſpoſuit, nullius momenti eſſe poteſt talis fictio, vel praeſumtio. Neque enim poteſt favor dari cauſſae, ubi defectus eſt in voluntate, nec voluiſse ſufficit, niſi voluntas legitimo modo declaretur.

XXXVI. Praeterea hic omnia ſi non praeſcire, ſaltim praeſagire, atque animo ante ſecum peragere, potuit *Uſimbardus*. Suſpicari potuit, filiam nupturam, quia illa de ingreſſu in monaſterium nihil certi conſtituerat; &, ipſe ei in hunc caſum dotem conſtituerat. Obverſari ergo animo eius potuerunt nati nataeve, & qui ab illis naſcerentur. Non ignoravit, contingere poſſe, ut & filius, & fratres, ſibi decederent, vel ſaltem non diuturnam haberent poſteritatem: nam in hunc caſum diſerte ſibi heredem ſorte inveniri iuſſit. Quidni ergo, & illum ſibi caſum, ob oculos ponere potuiſſet, quod filiae ſuae poſteri maſculae familiae ſuae futuri ſint ſuperſtites? Quum ergo his nullo modo proſpexerit: quis crediderit, eum illis proſpectum voluiſſe, aut ipſum fuiſſe proſpecturum, ſi rem aliter caſuram praeſciviſſet?

XXXVII. Tertia ratio, ſupra adducta, alicuius ponderis eſſet, ſi vere diceretur, nullius intereſſe, tabulas *Uſimbardi* ſubſiſtere. Intereſt enimvero primo eorum, quibus ius nominandi heredes datum: &, uti nemo dixerit, eius, cui ius patronatus conferendi honoris competit, non intereſse, alius, an ipſe, id ius exerceat: ita nemo negabit, intereſse Illuſtriſs. Locumtenentis, Conſiliariorum, & Senatorum Antianorum, ſalvam eſse *Uſimbardi* diſpoſitionem, eique ſucceſsorem non ab alio, quam a ſe, dari.

dari. Intereſt deinde tot familiarum nobilium, ex quibus duodecim iuvenes nominandi ſunt: quia illis inſignis ſpes fortunae, uni ex earum numero imminentis, intercipitur. Intereſt denique perſonae iſtius, cui eas facultates deſtinavit divina providentia. Quae perſona tametſi adhuc incerta ſit, poteſt tamen in poſterum certior per ſortitionem fieri. Quemadmodum ergo ſi quis eum inſtituiſset heredem, qui futuro anno conſul futurus ſit, non ideo poteſt derogari illi inſtitutioni, quod perſona illa ſit incerta, adeoque interſit nullius: (is enim, cui poſtea faſces deferuntur, procul dubio iure meritoque dicet, ſua intereſse,) ita nec hic ſtatui poteſt, nullius intereſse, ne *Uſimbardi* tabulis derogetur, quia perſona illa incerta ſit. Certum enim eſt, ex Hetruſca nobilitate duodecim familias, ex iis duodecim iuvenes, & ex his unum eſse, cui ſucceſſio debebatur, adeoque uni eorum, quicumque ſit, ius ſuum, contra voluntatem teſtatoris interverti, & eius, quiſquis ſit, vel maxime intereſse, ratas eſse *Uſimbardi* tabulas.

XXXVIII. Quum ergo ex his luce meridiana clarius eluceat, harum rationum nullam ita eſse comparatam, ut ideo teſtamento, iure facto, derogandum fuerit: conſequens eſt, ut iis impelli nec potuerit, nec debuerit celſiſſimus Princeps ad gratiam iſtam clariſſimo *Alamanno* concedendam. Ex quo ſimul facile patet, cur *III. Ea gratia*, *Clariſſimo* Alamanno *conceſſa*, *non recte*, *ac ordine videatur impetrata?* Quamvis enim nec in precibus veri quid ſuppreſsum, falſive quid relatum, immo nec a celſiſſimo Principe quidquam, quod in eiuſmodi cauſſis

fieri

fieri ſolet, omiſſum ſit: merito tamen 1) accura-
tiorem cauſſae cognitionem, citationemque eorum,
quorum intererat, deſideramus. Neque enim hic
de ſimplici gratia vel beneficio, quod Princeps ſine
cuiuſquam iniuria, ac detrimento concedere poſſet,
agebatur, ſed de teſtamentaria ſucceſſione, quae
uni ex nobilitate Hetruſca, cuius ſors ſitella exi-
tura eſſet, debebatur. Quoties autem aliquid peti-
tur, quod cum alterius detrimento eſt coniunctum,
procul dubio neceſſaria eſt cauſſae cognitio. Ipſa
enim lex naturae ſuadet, ſine cauſſae cognitione
non eſſe ius alteri detrahendum. Quum vero
cognitio verſetur in audiendis iis, quorum intereſt,
iuribuſque eorum expendendis: conſequens ſane eſt,
ut hi citandi ſint, omiſſaque illa citatione, non
intelligatur cauſſa rite cognita eſſe. Quod adeo
verum eſt, ut non ſolum citandi dicantur certi, &
ſpecialiter, ſed & incerti, quorum poteſt intereſſe,
quia alias actus ſit nullus, factuſque praeſumatur
ad importunitatem, & in gratiam petentis, & ſic
ambitioſus.

XXXIX. Iam quum paullo ante demonſtra-
tum ſit, multum interfuiſſe tum eorum, quibus no-
minatio duodecim iuvenum nobilium demandata
fuerat, tum & nobilitatis Hetruſcae, ex qua uni
deſtinata erat ſucceſſio: neque tamen illi citati au-
ditique ſint: nemo non videt, neutris potuiſſe illa
gratia praeiudicium fieri, vel tabulis *Uſimbardi* in
favorem Clariſſimi *Alamanni* derogari. Quae quum
ita ſint, 2) parum ad rem facit, quod ille in pre-
cibus ſuis nihil veti diſſimularit, nihil falſi ſuggeſ-
ſerit, itemque 3) quod celſiſſimus Princeps Audito-

Digitized by Google

rem Illuſtriſs. Locumtenentis de re ad ſe referri iuſſerit: nec non 4) quod laudatus Auditor ex ore Illuſtriſs. Locumtenentis, & Conſiliariorum Senatorumque retulerit, eos Clariſſimi *Alamanni* deſiderio refragari nolle. Nam horum nihil cauſſae cognitionis nomen meretur, nec defectum ſupplet citationis.

XXXX. Immo quod ad tertiam attinet rationem quaeri poteſt, an licuerit laudatiſſimis viris, iuri nominandi, ſibi teſtamento *Uſimbardi* dato, renunciare: partim quod illud non ad eorum dumtaxat, ſed in primis ad nobilitatis Hetruſcae, favorem pertinet, eoque caſu nullius momenti eſt renunciatio cum alterius detrimento coniuncta (1): partim quod exſequutoribus teſtamenti, quales hic ſunt Illuſtriſs. Locumtenens, Conſiliarii, & Senatores Antiani, non permittit officii ratio, ut derogaturis teſtamento non refragentur, ſed eorum potius fuiſſet, dare operam, ut exſequutioni illud mandetur per omnia (2): adeoque haec renunciatio, ab officio exſequutorum teſtamenti aliena, eſſe videtur, qualem non valere, inter omnes conſtat (3): partim quod renunciare iuri, quod nondum eſt delatum, non licet (4). Iam vero tum, quum Illuſtriſs. Locumtenens, Conſiliarii, & Senatores Antiani precibus

ela-

(1) Bald. *in L. Si quis conſcribendo* C. *de pact.* -- Guil. *Lib. I. Obſ. Cap.* XXXX. *n.* 10. -- Giphan. *de renunciat. Cap. II. p.* 48.

(2) Ritterſch. *in Novell. p.* 333. -- Petr. Gudelin. *Iur. noviſſ. Lib. II. Cap.* 9. *in fin.*

(3) Goeddeus *ad L. Itinere* 3. *D. de verb. ſignif. n.* 37.

(4) *L.* 3. *D. de reg. iur.* -- *L.* 18. *D. de adqu. vel. omitt. hered.* -- Caſtrenſ. *in L.* 1. *C. de pact.*

Digitized by Google

clariſſimi *Alamanni*, refragari ſe nolle, declararent, nondum exſtiterat caſus, in quem illis nominatio ſortitioque teſtamento demandata fuerat, ſuperſtite quippe adhuc *Vincentio*, neque ſcire illi pro certo poterant, utrum ipſi vitam eo uſque producturi eſſent, ut ſortitio illa ex teſtatoris praeſcripto a ſe fieri poſſit, an non potius ſucceſſoribus ſuis eum actum reſervarit divina providentia. Et ſane quum ex ſpecie praemiſſa intelligamus, Senatores Antianos poſt celſiſſimi *Io. Gaſtonis* Magni Ducis exceſſum ſupplicibus precibus contendiſſe a ſummo Principe hodie imperante, ut copia ſibi fieret teſtamentum *Uſimbardianum* exſequutioni mandandi: non aliud ſuſpicari poſſumus: quam alios iam eſſe in Senatu, quam qui olim, ſe refragari velle, negaverant. His vero deceſſores renunciatione ſua praeiudicium adferre non potuiſſe, tam aperti iuris eſt, ut probatione non indigeat. Ex quibus iam merito colligimus, in impetranda gratia iſta derogatoria non omnia ita recte, & ordine acta eſſe, ut illius conceſſio rata, & firma haberi poſſit.

XXXXI. Reliquum eſt, ut de quarto, eoque poſtremo capite diſpiciamus, *IIII. an ſemel data illa gratia derogatoria, & hodie rata ſit, & ne poſt celſiſſimi quidem* Io. Gaſtonis, *Magni Ducis, exceſſum expirarit?* Ubi denuo non animadvertimus, quibus rationibus defendi poſſit, eam non expiraſſe. Si enim 1) pervulgati iuris eſt, ſaltim ſucceſſorem ſingularem ad praeſtanda deceſſoris facta non obligari, niſi regnorum, & Principatuum formula aliud ſua-

deat

Digitized by Google

deat (1): qui obſtringeretur Potentiſſimus Magnus Dux, qui hodie rerum potitur, ad gratiam ab anteceſſore conceſsam ſervandam? maxime quum illa gratia ad formulam Magni Ducatus non pertineat, nec quidquam habeat cum republica commune? Deinde 2) haec gratia, quanta eſt, non niſi privilegium eſt, quo Princeps clariſſimo *Alamanno* aliquid contra leges teſtamenti, & ius commune indulſit, puta ut ei caſu exſiſtente deferatur ſucceſſio in *Uſimbardi* bonis, non obſtantibus teſtamenti tabulis. Atqui inter omnes conſtat, privilegia ceſſare, exſtincto concedente, antequam illa in effectum deducta ſint, vel deduci potuerint (2), idque inprimis in privilegiis, & iuribus diſpenſativis obtinere aiunt, quae, mortuo ante exſequutionem concedente, exſpirare, notum eſt (3). Qui caſus hic ipſe eſt, de quo quaeritur, quum hic glorioſiſſimae memoriae Princeps, *Io. Gaſta*, aliquid contra *Uſimbardi* teſtamentum indulſerit, vel, uti vulgo loquuntur, diſpenſarit, eum in finem, ut non obſtante illo, clariſsimus *Alamannus Vincentio* aliquando ſuccederet, antequam vero in effectum deduceretur, vel deduci ſaltim poſſet impetrata illa diſpenſatio, rebus humanis exceſſerit.

XXXXII. Accedit, 3) quod iura hoc caſu gratiam exſpirare, diſerte ſtatuunt. Nihil enim clarius eſt textu: *Cap. ſi cui 86. de praebendis in 6. Si ſuper proviſione certae perſonae facienda ſit data poteſtas ei-*

dem,

(1) *De* Ludewig. *Diſſ. de oblig. ſucceſſor. in princip. & clientel. S. R. Imp. Cap. IIII.* §. 5. 6.
(2) Bald. *in l. 1. in fin. D. de offic. eius, cui mand. iuriſdict.* Tiraquell. *in reg. ceſſante cauſſa ceſſat effect. num.* 12. *ſeq.* 19.
(3) Anton. *in Cap. poſt. tranſlat. de renunciat.* -- Ungepaur. *Diſſ. de iure Principis auct. in privilegia n.* 83.

Digitized by Google

dem, *non ob ſuum*, *ſed eius*, *cui provideri mandatur*, *gratiam*, *vel favorem*, *illa quidem exſpirat omnino*, *ſi concedens re integra moriatur*. Fruſtranea ſane, ac paene Domitiana videtur quaeſtio, an haec verba Pontificis ad ſpeciem praeſentem pertineant? Agitur enim in eo textu *de proviſione certae perſonae:* talis hic eſt cl. *Alamannus*. *Gratia* illa eſt *facienda*. Sed & hic laudatus vir non ab illo tempore factus eſt heres, vel ſucceſſor, quo celſiſſimus Princeps aliquid contra *Uſimbardi* tabulas indulſit, (viventis enim tum *Vincentii* nulla potuit eſſe hereditas,) ſed ſucceſſor futurus erat ab eo tempore, quo illuſtr. Locumtenens cum Conſiliariis, & Senatoribus Antianis illum Principis iuſſu erant deſignaturi. *Data* in illo capitulo erat alicui *ſuper proviſione poteſtas*, *non in ſuam*, *ſed eius*, *qui providetur*, *gratiam*. At his quoque electoribus data eſt poteſtas deſignandi ſucceſſorem non in ipſorum, ſed eius, cui provideri mandabatur, gratiam, vel favorem clariſſimi *Alamanni*. Si vero eadem eſt ſpecies noſtra, uti per omnes circumſtantias, & per inductionem, quam vocant, oſtendimus: quidni & deciſio eſſet eadem, puta, illam gratiam *exſpiraſſe omnino*, *quia concedens re integra ſit mortuus*. Et quis ignorat, ex hoc ipſo textu interpretes elicere diſtinctionem inter gratiam in favorem mandatarii, & alteram in favorem tertii proviſi, conceſſam; & veluti ex compacto ſtatuere, priorem quidem morte concedentis non exſpirare, poſteriorem exſpirare omnino (1).

XXXXIII.

(1) Barboſa *ad d. text. n. 2. 3.* -- Suarez. *de leg. Lib. VIII. Cap. XXXI. n. 8.*

Digitized by Google

XXXXIII. Nec his denique omnibus 4) obverti poſſunt, quae ſupra pro dubitandi rationibus adduximus. Nam quantumvis ſubtiliſſime philoſophemur de natura ſurrogationis: non tamen negari umquam poterit, ut gratia a celſiſſimo Principe, *Io. Gaſtone*, conceſsa pro perfecta, & irrevocabili habeatur. Nam non ſequitur, primo, ut ideo Principis nova voluntas in locum ultimae voluntatis teſtatoris ſubintret, quia contra teſtamentum aliquid indulſit. Nam Princeps profecto eo ipſo teſtari noluit, ſed iure Principis aliquid praecepit. Deinde ſi fingamus, illam Principis indulgentiam naturam teſtamenti *Uſimbardiani* adſumere: ex eo ipſo ſequitur, eam illo tempore, quo conceſsa eſt, non fuiſse gratiam *factam*, ſed *faciendam*. Quemadmodum enim fideicommiſsaria ſubſtitutio conditionalis nullatenus ſubſtantiam capit a morte teſtatoris, ſed exſiſtente demum caſu, in quem facta eſt, quum ne ipſe quidem teſtator eam antea valere, vel diem cedere voluerit, & ex ipſo iure civili ſatis notum ſit, diem fideicommiſſorum conditionalium demum ab exſiſtente conditione cedere (x); ita nec celſiſſimi Pincipis voluntas de clariſſimo *Alamanno* ſucceſſore nominando non prius valere debuit, quam exſtincto ſine liberis *Vincentio*, quia eam non prius valere voluit. Quod vero nondum valet, ſed in poſterum demum valiturum eſt; qui, quaeſo, pro iam *facto* haberi poterit? Sed rem omnem hoc argumento complectimur: quae gratia eſt conditionalis, eius valor procul dubio ſuſpenditur in caſum, quo valere poteſt,

&

(x) *L. 5. §. 2. D. quand. dies leg. -- L. 41. D. de condit. & demonſtr. -- L. un. §. 7. C. de caduc. toll.*

Digitized by Google

& debet. At gratia a celſiſſimo Magno Duce, *Io. Gaſtone*, clariſsimo *Alamanno* conceſsa eſt ſub conditione, ſi *Vincentium* ſine liberis mori contigerit. Fuit ergo ſuſpenſa in hunc caſum, quo demum valere debuit, & potuit. Quumque id, quod a caſu quodam ſuſpenſum eſt, nondum *factum* dici queat: gratia illa celſiſsimi Principis nondum *facta*, ſed *facienda* fuit, ac proinde per *cap. 36. de praebend. & dignit. in 6.* morte concedentis exſpiravit.

XXXXIV. Et quid opus eſt verbis? Fingamus, ipſum clariſſimum *Alamannum* ante *Vincentium* deceſsiſse: an tunc ulla ſpes fuiſſet heredibus ad ſucceſsionem adſpirandi? Id ſane nemo dixerit: partim quod nondum adquiſita hereditas ad heredes non tranſmittitur, partim, quod privilegium perſonae conceſſum, vel mere perſonale, (quale hic procul dubio eſt gratia, a clariſſimo *Alamanno* impetrata) non magis prodeſt heredibus. Enimvero, quae gratia non eſt ita comparata, ut ad heredes devolvatur, ea procul dubio non *facta*, ſed *facienda* eſt, ac morte concedentis non minus, quam impetrantis obitu, evaneſcit. Inter caſum, quem ex *L. 28. pr. D. de condit. & demonſtr.* adduximus, & eum, in quo nos iam verſamur, nihil plane ſimilitudinis intercedit. In illo enim conditio per mortem L. Titii defecit, neque ulla facta eſt ſurrogatio voluntatis alterius in locum voluntatis vel L. Titii, vel teſtatoris. In hoc noſtro conditio non defecerat, ſed a clariſſimo *Alamanno* in libello ſupplice diſerte ſupponitur. Superſtes enim adhuc erat *Vincentius*, & eo demum ſine liberis mortuo, rata futura erat celſiſſimi Principis gratia.

XXXXV. Quod 5.) ad ſecundam dubitandi rationem attinet, falſum eſt, quod ibi ponitur pro certo, gratiam clariſſimo *Alamanno* factam eſſe puram, ac ſimplicem, non conditioni adſtrictam, aut in tempus futurum collatam. Qui enim ſucceſſor deſignatur non in praeſens, ſed in futurum, ſi *Vincentius* ſine liberis moriatur, (quem caſum ipſe clariſſimus *Alamannus* in libello ſuppplice ſupponit,) ille profecto non ſimpliciter & pure, ſed in futurum, & ſub conditione deſignatur: ac proinde gratia a celſiſſimo Magno Duce, *Io. Gaſtone* profecta, non ſimplex, & pura, non *facta*, ſed *facienda* dici poteſt. Deinde id perſpicue patet ex ipſis adductis definitionibus. Si enim gratia *facta* dicitur, *quae perfecte conceditur ei, cuius in favorem datur, & independenter ab alio, cui facienda committitur: facienda* autem, *quae non conceditur abſolute ei, cuius in favorem datur, ſed dependenter ab alio, cui facienda committitur:* gratia, quam clariſſimus *Alamannus* impetravit, manifeſto non *facta*, ſed *facienda* eſt. Non enim *perfecte* in illum tranſlata eſt ſucceſſio, (quod ſuperſtite adhuc *Vincentio* ne fieri quidem potuit,) nec *independenter ab alio, cui facienda commiſſa:* nam diſerte Princeps voluit, ut ille ab illuſtri Locumtenente, Conſiliariis, & Senatoribus Antianis ſucceſſor nominaretur, nec aliud Principem ipſe rogaverat clariſſimus *Alamannus*.

XXXXVI. Denique nec dici poteſt, ſolam exſequutionem huius gratiae illis electoribus fuiſſe a Principe demandatam: partim, quod nominatio non eſt exſequutio, ſed ipſa adhuc exſequutione indiget: partim, quod exſequutio ponit ius, quod

quis iam tum habuit. At ius, ante nominationem a laudatis electoribus factam, nullum habet clariſſimus *Alamannus*, neque ad rem, neque in re; Ac proinde nec nominatio illa dici poteſt exſequutio. Dicimus, clariſſimo *Alamanno* ex reſcripto Principis nec ius in re, nec ad rem, natum eſſe, ſed ſolam ſpem bonis *Uſimbardianis* aliquando potiundi. Non ius ad rem: quia dies fideicommiſſi ſub conditione relicti, cuius naturam adſumſiſſe aiunt illam gratiam derogatoriam, demum facta ab electoribus nominatione cedit. Nec ius in re; quia vivo *Vincentio* in bonis eius, nemo vel dominium, vel ius hereditarium nanciſci potuit, ſed illud quoque demum a nominatione erat initium capturum. Quis ergo iuris exſequutionem diceret id, a quo demum ius tum in re, tum ad rem, originem habet & capit ſubſtantiam?

XXXXVII. Hinc 6) fruſtra provocatur ad *Cap. Super gratia de officio, & poteſt. iud. deleg. in 6.* ſiquidem ille textus manifeſto ponit caſum, quo gratia ab ipſa Sede Apoſtolica, e. g. praebenda vacans, conceſſa fuerat, & dati ſimul, qui illam Pontificis voluntatem exſequutioni mandarent. Hic ſpecies plane alia eſt; quum nullum ius in clariſsimum *Alamannum* collatum ſit, ſed in poſterum conferendum poſt *Vincentii* obitum. In textu ergo memoratur gratia *facta*, vel *perfecta*: in ſpecie noſtra de gratia facienda quaeſtio eſt. Hinc recte quidem ſe habet diſtinctio *Rolandi a Valle*, *Tuſchii*, & aliorum, gratiam nimirum *faciendam* morte concedentis exſpirare, *factam* non exſpirare: ſed haec ipſa diſtinctio clariſsimo *Alamanno* parum praeſidii praeſtat,

Digitized by Google

ſtat, quia iam ſaepe oſtenſum, multiſque argumentis demonſtratum eſt, gratiam illi non *factam* eſſe, ſed *faciendam* fuiſſe, caſu demum exſiſtente, ac proinde mortuo celſiſſimo Principe concedente omnino expiraſſe.

XXXXVIII. Quod 7) & de quarta dubitandi ratione dicendum videtur. Nam ſi vel maxime largiamur, gratiam, cauſſa cognita, conceſſam, etiam mortuo concedente ſalvam, ac inconcuſſam perſiſtere debere: tamen iam ſupra oſtendimus, permulta in illa cauſſae cognitione, quam ſuper precibus ſuis ſuſceptam fuiſſe, clariſſimus *Alamannus* contendit, poſse deſiderari. Quum ergo perinde eſse videatur ſive quid non factum, ſive non rite, ac ordine factum ſit: nos, quid illa difficultas ad perpetuitatem, ſtabilitatemque huius gratiae facere poſſit, vix intelligimus.

XXXXIX. Quod 8) ad quintam dubitanti rationem attinet, manibus quidem, pedibuſque obnixe omnia fiunt, ut ſaepe laudatum *Capitulum 36. de praeb. & dign. in 6.* Clariſſimo *Alamanno* non adverſari oſtendatur. Sed res eodem redit. Nimirum illud in poſteriore parte loqui de gratia *facienda*, non de *facta* ipſi clariſſimi *Alamanni* Patroni fatentur. Gratiam autem, ex qua ſucceſſio clariſſimo *Alamanno* debeatur, non *faciendam*, ſed *factam* eſſe exiſtimant, ac proinde potius priorem huius *capituli* partem huc pertinere contendunt, in qua ita ſanxerit Pontifex. *Si cui, nulla perſonarum facta expreſſione ſit gratioſe conceſſa facultas, ut auctoritate Apoſtolica poſſit aliquibus perſonis idoneis in certa Eccleſia providere, & beneficia, quorum collatio eſt ad*

Se-

Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, *conferre*, *contradictores eadem auctoritate per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo : huiuſmodi conceſſio*, *quam*, *quum ſpecialem gratiam contineat*, *decet eſſe manſuram : non exſpirat etiam re integra*, *per obitum concedentis*. Enimvero poſteriorem iſtius Capituli partem caſum, in quo enodando verſamur, in terminis, ceu vocant, continere, iam ſupra oſtendimus. Priorem huc non pertinere eo argumento luculenter demonſtratur, quod Pontifex loqui ſe fatetur *de beneficiis*, *quorum collatio eſt ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta*, adeoque de vacantibus. Hic autem clariſſimo *Alamanno* non confertur ſucceſſio in hereditate aliqua iacente, vel bonis vacantibus, ſed in bonis, tum adhuc a *Vincentio* poſſeſſis: ac proinde dici nullatenus poteſt, *capituli* partem priorem poſſe caſui noſtro adplicari. Deinde illa pars prior aperte ponit gratiam, factam in favorem, non eius, cui provideri mandatur, ſed iſtius, cui facultas aliquibus perſonis incertis providendi in certa Eccleſia a Sede Apoſtolica gratioſe conceſſa eſt. An vero talis eſt gratia clariſſimo *Alamanno* conceſſa? In *Capitulo* gratia illa facta dicitur, nullis perſonis expreſſis, adeoque in gratiam illarum nihil actum videri poterat. In ſpecie noſtra non ſolum nomen clariſſimi *Alamanni* tamquam eam impetrantis exprimitur, ſed & in eius gratiam, & favorem reſcribitur. Ibi data fuerat alicui facultas providendi quibuſdam perſonis in certa Eccleſia, idque beneficium adeo ad ipſius, cui proviſio mandata fuerat, favorem pertinebat. Hic nihil actum, conceſſumque in gratiam, & favorem Illuſtriſs. Locumtenentis,

Con-

Conſiliariorum, & Senatorum Antianorum, quibus potius ius nominandi XII. Iuvenes, ſortiendique illo reſcripto ademtum eſt, ſed in gratiam clariſſimi *Alamanni*, cui provideri mandatum eſt. Atque ex his omnibus luce profecto meridiana clarius elucet, non priorem, ſed poſteriorem huius *capituli* 36. partem ad ſpeciem noſtram pertinere, adeoque gratiam clariſſimo *Alamanno* conceſſam exſpiraſſe omnino, Celſiſſimo Principe concedente, re adhuc integra, mortuo.

L. Praeterea, 9) ſi vel maxime regula iuris de mandato morte mandantis exſpirante hic adplicari non poſſet: tamen a voluntate teſtatoris, ad iuſſum, vel gratiam Principis nullum idoneum duci argumentum, facile intelligitur. Illam enim, mortuo etiam teſtatore, ſuſtinent leges: immo non prius rata eſt illa teſtatoris voluntas, quam per mortem confirmetur: gratiam vero Principis, re adhuc integra, diem obeuntis ſupremum, leges non ſuſtinent; immo potius, hoc ipſum, quod prae manibus eſt, *capitulum*, talem gratiam, morte Principis, ſi re integra accidat, non confirmari, ſed diſſolvi, atque exſtingui, docet. Ac proinde ducta a voluntate teſtatoris ad gratiam a Principe conceſſam, conſequentia non procedit.

LI. Poſtremo 10.) clariſsimo *Alamanno* omnino refragatur Decretum Magiſtratus Supremi, pridie non. Auguſti anno MDCCXXXVII. editum. Quum enim illo gratiae omnes, & expectativae, a ſuperiore Magno Duce conceſſae, irritae pronuncientur; neque in decreto illo diſtinctionis inter collationem proviſionalem officiorum, vel dignitatum, & aliorum beneficiorum, nec vola, nec veſtigium

ex-

Digitized by Google

exſtet: noſtrum non eſt SC. illud interpretatione coanguſtare, ſed Potentiſsimi Magni Ducis, hodie Imperantis, erit ſtatuere, quem modum is eſſe velit beneficiorum a Celſiſſimo Deceſſore ſuo conceſſorum (1).

LII. Quae quum ita ſint, facere non poſſumus, quin doctiſſimis Iudicibus, qui & nullam eſſe hanc gratiam, &, ſi vel maxime initio iure ſubſtitiſſet, eam tamen exceſſu Celſiſſimi Concedentis exſpiraſſe, Principi retulerunt, per omnia adſtipulemur.

NOMINE FACULTATIS IURIDICAE,
Menſe Ianuario 1740.

RE-

(1) *Arg. L. 191. D. de reg. iur.*

Digitized by Google

RESPONSUM III.

SUPER EADEM CAUSA

FIDEICOMMISSI USIMBARDIANI

DE IURE ELIGENDI SUCCESSOREM IN BONIS FIDEICOMMISSARIIS ARBITRIO COLLEGII RELICTO.

I. Dicere iterum iuſſi ſententiam de fideicommiſſo *Uſimbardiano*, expenſis iis omnibus, quae ad rem facere videbantur, ſubductiſque rationibus, nos, Ordinis ICtorum in Academia Halenſi Praeſes ordinarius, Decanus, ceterique Doctores, & Profeſſores hanc demum fecimus cogitationum noſtrarum ſummam.

II. Quum altero abhinc anno de fideicommiſſo *Uſimbardiano* conſulti, preces Clariſſimi *Alamanni*, ſucceſſionem iure materno extra ordinem ambientis, non ſatis aequas iudicaſſemus, ac proinde fuiſſemus auctores, ut potius ratum haberetur ſupremum *Uſimbardi* iudicium, eique, exſtincto *Vincentio*, ſubſtitutiſque fratribus ſine prole ante *Vincentium* fato ſuo abreptis, eo ritu, quem teſtator tabulis ſuis praefiniverat, ſucceſſor eligeretur: ſententia haec noſtra ita ſeſe probavit ſuae Regiae Serenitati, ut ea reſcripto ſingulari die X. Iun. MDCCXXXX. id

negotii daret Senatoribus, quibus ex *Uſimbardi* teſtamento ius ſucceſſorem in bonis fideicommiſſariis eligendi erat, ut electionem illam ſecundum formam ſupremis tabulis ab *Uſimbardo* praeſcriptam, quamprimum ſuſciperent, interminata ſimul poena, eos nihil acturos, ſi ab iſta forma, ac ratione ulla in re diſcedere auſi eſſent. Iam *Uſimbardus* in tabulis ſuis verbis diſertiſſimis caverat, ne fas eſſet Senatoribus eligentibus, filios, nepotes, proneporeſve ex filiis ſuis ad ſortiendum admittere, neque eorum in eligendo ſucceſſore ratio a parentibus haberetur. Nihilominus haec teſtatoris verba paullo obſcuriora viſa ſunt Senatoribus, ambigentibus quippe, ſint ne filii, nepotes, ac pronepotes ex filiis ſuis in complexu ſumendi, ita ut illorum nullius habenda ſit ratio: an ea mens fuerit Teſtatoris, ſingulis eligentibus licere haud oportere, ut ſuos quiſque filios, nepotes, pronepoteſve in numerum ſortientium referret. Evitaturi itaque poenam nullitatis, ſummi viri *Philippi Lucii* Auditoris Fiſci conſilium petunt, eoque freti, non ſuum quiſque, ſed alterius filium, nepotemve in numerum ſortientium cooptarunt. Sortibus in ſitellam coniectis, miro fato nomen *Alexandri Cerchii*, Senatoris filii, ſed natura ſurdi, & muti, exiit: quumque his ſenſibus oibus minus idoneus ſit ad ſacram S. Stephani militiam: vir clariſſimus *Alamannus* actum iſtum electionis nullum omnino, atque irritum eſſe contendit, oblatiſque ſuae Regiae Celſitudini precibus, ut iam demum ſui ex aequitate ratio habeatur, vehementer etiam atque etiam flagitat. Quamobrem modo ſequentes incidunt quaeſtiones:

Digitized by Google

I. An verba in tabulis Uſimbardianis *filios, nepotes, nepoteſve ex filiis omnium Senatorum, etiam iunctim ſumtorum a paſſiva nominatione excludant?*

II. Suone eligendi iure exciderint Senatores, an vero illud ita habeant integrum, ut ſe ad novam electionem accingere poſſint?

III. Si iure ſuo exciderint: cuinam iam ius nominandi ſucceſſorem in bonis fideicommiſſariis Uſimbardianis *competere videatur?*

III. Quod ad *Primam* attinet quaeſtionem: verba Teſtatoris ita comparata ſunt, ut filii, nepotes, pronepoteſque Senatorum eligentium non in univerſum a fideicommiſſo repulſi videantur, ſed id tantum caviſſe adpareat *Uſimbardum*, ne inter duodecim Senatores eligentes ſuum quiſque filium, nepotem, pronepotemve in ſortientium numerum poſſet cooptare. Argumenta ſane eius interpretationis haud poenitenda attuliſſe animadvertimus doctiſſimum Fiſci Auditorem. Nam I. hanc legem teſtator electioni dixit: *Et eletti queſti dodici ſoggetti, quali non devino eſſer figliuoli, nè nipoti, o pronepoti ex filio delli Senatori eligenti*. His vero verbis nulla omnino vis infertur, ſi ea de ſingulis dumtaxat Senatoribus, quibus ius eligendi datum eſt, accipiantur, adeoque unicuique fas eſſe ſtatuatur, collegae ſui filium, nepotem, pronepotemve nominare. Immo quemadmodum numerus pluralis ſaepe in ſingularem ex uſu, & proprietate omnium linguarum reſolvitur, ita & clauſulam iſtam Teſtatoris eum ſenſum omnino admittere dixeris, nullum Senatorem eligentem ſuum, vel filium, vel nepotem, vel pronepotem ex filio cooptare debere.

Deinde

Google

IIII. Deinde II. quum eidem Teſtatori non placuerit uti verbis univerſalibus, & collectivis, ſed indefinitis: *Senatores eligentes*: vix fit veroſimile, eum duodecim illos Senatores, quibus ius ſucceſſorem ſurrogandi teſtamento ſuo detulit, tamquam corpus aliquod collectivum conſiderare voluiſſe. Quo poſito, per ſe patet, eum non univerſis, ſed ſingulis eam tuliſſe legem, ne ſuos quisque filios, poſteroſve ex filiis cooptarent: maxime, quum inter omnes iuris paullo peritiores conſtet, pluralitatem quamlibet reſolvi in ſuas ſingularitates (1).

V. Accedit III. quod ipſe Teſtator mentem hanc ſuam non obſcure aperuiſſe videatur, dum non omnes in univerſum Senatorum eligentium poſteros, ſed filios tantum, & nepotes, pronepoteſque ex filio, non autem ex filia, nec ex fratribus nepotes excluſos voluit, quod tamen monere omnino debuiſſet, ſi omnes Senatorum eligentium poſteros exſortes huius beneficii eſſe voluiſſet.

VI. Denique IIII. nulla ratio perſuadere nobis videtur, ut Teſtatorem eodem tempore, quo Senatoribus XII. ius eligendi detulit, ſingularemque, ac praecipuam fiduciam in eorum fide, ac religione collocavit, eoſdem ſimul tanto odio proſequutum eſſe credamus, ut omnes eorum poſteros incapaces eius beneficii eſſe iuberet. Sibi profecto quodammodo diſſimilis videri poſſet *Uſimbardus*, ſi eoſdem, eorumque poſteros eligi non poſſe ſanxiſſet, quibus

M.

(1) *L.* 2. *in fin. D. de condit. inſtitut.* -- *L.* 33. §. 3. *D. de condit. & demonſtr.* -- *L. ult.* §. 6. *D. de legat. II.* *L.* 10. *C. famil. erciſc.*

tamen ius, facultatemque eligendi ex ſingulari quadam fiducia conceſſit. Quod ſi itaque expeditiſſimi iuris eſt, omnem contrarietatem vitandam in ſupremis hominum iudiciis (1), ac proinde ea ita interpretanda eſſe, ut ne Teſtator contraria, ſibique repugnantia voluiſſe exiſtimetur: dubitare nefas videtur, ita quoque exponendam eſſe diſpoſitionem *Uſimbardi*, ut ne ſimul magni feciſſe Senatorum eligentium ſidem, ſimul eos, eorumque poſteros odio habuiſſe dicatur. Quod ſane vix fieri poſſe videtur commodius, quam ſi illum de ſingulis dumtaxat eligentibus ſenſiſſe, credamus, non de univerſis, eorumque poſteris, adeoque ſatisfactum arbitremur eius voluntati, dumne ſuum quiſque filium, nepotem, pronepotemve ex filio in ſortientium numerum cooptarit.

VII. Enimvero ſi rem paullo accuratius, & adhibita in conſilium ratione, expendimus: non adeo firmo talo niti animadvertimus hanc ſententiam. Quum enim duo ſint veluti fontes, ex quibus omnis genuina interpretatio promanat, puta *verba* diſponentis, & eiuſdem *intentio, & ratio*, quae eum probabiliter ad hoc, illudve diſponendum impulit: ex neutro iſtorum limpidiſſimorum fontium hanc interpretationem prono alveo fluere, certum eſt.

VIII. Quod enim I. ad verba attinet: diſerte voluit Teſtator, eos, qui in numerum recipiendi ſint, *Non debere eſſe filios, nepotes, vel pronepotes ex filio Senatorum eligentium*. Ea vero verba non alium ſenſum admittunt, quam filios, nepotes, pronepoteſve ex filio Senatorum eligentium, omnium

&

(1) *L.* 188. *D. de reg. iur.* -- *Cap.* 29. *de elect. in* 6.

Digitized by Google

& ſingulorum , ab iſta ſucceſſione excluſos fore. Permagnum enim diſcrimen eſt inter hanc loquutionem: *ſortientes non debere eſſe filios, nepotes, vel pronepotes ex filio ſenatorum eligentium*; & inter illam: *non debere eligentem aliquem ſuum filium, nepotem, pronepotemve ex filio inter ſortientes cooptare*. Quarum illa pluralitatem perſonarum, haec ſingularitatem involuit; illa omnibus, & ſingulis, haec ſingulis tantum, quid ab iis obſervandum ſit, imperat, ut non poſſit idem utriuſque ſenſus videri.

IX. Deinde II. praecipui iuris Auctores veluti ex compacto, in huiuſmodi propoſitionibus pluralitatem, uti loquuntur, in ſingularitatem reſolvi poſſe negant. Immo *ſi plures cumulati, ſimul iuncti cum alia perſona ad* eligendum, *vel aliquid faciendum, licet ſint plures, reputantur pro una perſona: veluti ſi Teſtator diſponat, ut* electio *ſpectet ad conſules artis, & heredes ſuos, licet conſules ſint multi, puta quinque, vel decem, reputantur pro una perſona, & heredes pro una perſona* (1). Quum vero *Uſimbardus* in teſtamento ſuo copularit, iunxeritque Illuſtriſſimum Locumtenentem, & Conſiliarios S. R. C. & alios ſeptem Senatores ſeniores, ſeu XII. Senatores; non poſſunt non hi duodecim pro una perſona haberi, ac proinde iis omnibus, ac ſingulis prohibitum eſſe oportet, quo minus ſuos filios, nepotes, pronepoteſve ex filio eligerent.

X. Neque III. huic regulae obverti poteſt, ſi XII. Senatores unius perſonae loco haberentur, futurum eſſe, ut omnes uno tantum ſuffragio

(1) Roman. *Conſil. LXXXXVIIII.* — Tuſch. *Vol. VI. litt. P. Concluſ. pract.* CCCLXX. n. 1.

gio gaudeant. Quamvis enim laudatus *Romanus*, quique eum ſequitur, *Card. Tuſchus* inde porro colligant, *ſive electio ſit commiſſa pluribus collective, puta conſulibus, & heredibus, ſive ex una parte pluribus collective, & uni, vel pluribus ſingularibus perſonis, quamlibet ſingularem perſonam habituram unam vocem, & plures collective aliam vocem* (1), ipſi tamen hi ICti eam ſententiam ſuam iis limitibus circumſcribunt, ut, ſi conſtet de mente Teſtatoris, & quod voluerit collective poſitos pro pluribus perſonis aliqua in re haberi, tunc ſtandum ſit voluntati diſponentis (2). Quum ergo *Uſimbardus* Teſtamento ſuo verbis perſpicuis, ac disertis ſtatuerit, ut Conſiliariorum iſtorum numero XII. unuſquiſque juvenem aliquem cooptaret: eatenus illi omnino plures perſonas repraeſentant, non autem dum paullo poſt ſortientes Senatorum eligentium filios, nepotes, pronepoteſve eſſe noluit, ſiquidem eo loco figura verborum plane alia uſus eſt, nec ullum adhibuit verbum, ex quo alia eius voluntas eluceat, quum tamen nihil ſoleat, quod ad mentem ſuam patefaciendam facere videtur, praetermittere.

XI. Deinde ſi IIII. ad intentionem, mentemque, ac conſilium, diſponentis reſpicimus: res ipſa profecto docet, *Uſimbardum*, non ignarum ingenii humani, id egiſſe, ne eligentes in conſtituendo ſibi ſucceſſore fideicommiſſario, aliquid indulgerent adfectibus, & minus habiles habilioribus ſuo arbitrio ante-

(1) *Card.* Tuſch. *ibid. n.* 2. *ſequ.*
(2) Roman. *d. Conſ. LXXXXVIIII. in fine n.* 4. *verb. dum autem*, — *Card.* Tuſch. *ibid. n.* 8.

anteferrent. Eſt ſane ita natura comparatum, ut adfectus veluti caliginem offundant iudicio prudentiſſimorum etiam hominum, ut facile praetervideant eorum, quos eligunt, vitia, illorumque virtutes, quas nemo alius deprehendit, mirifice commendent, extollantque in altius, ſi amore ſe ſemel in tranſverſum actos videant. Quid vero nobis natura carius, quidque magis curae, cordique eſt, quam ſui cuique liberi, ad quorum naevos plerumque connivent parentum oculi, quorumque & minima virtutum rudimenta non ſolum laudare, ſed & admirari ſolent? Praecipue autem praeceps iſtud, atque iniquiſſimum iudicium tum vel maxime ſeſe exſerit, ſi quando id agitur, ut liberos ſuos, vel ad honores provehant, vel opibus reddant beatiores. Tunc enim pauciſſimi parentes Iove tam aequo iudicant, ut non ſuos quiſque lautiore fortuna digniſſimos, aliiſque omnibus anteferendos eſſe, exiſtimet, non quod excellant virtutibus, ſed quod ſui ſint. Ea ergo procul dubio ratio *Uſimbardum* movit, ut Senatores eligentes poſterorum ſuorum rationem in electione iſta habere prohiberet, ne ſcilicet illi adfectibus ſuis magis, quam iudicio ducerentur, taleſque cooptarent, qui tanta fortuna viderentur digniſſimi. Idque eo certius ſtatuere nobis videmur, quod adhibita in conſilium ratione, vix poteſt alia, quae *Uſimbardo* ita diſponenti obverſari potuiſſet, cauſſa excogitari. Atqui perinde eſſe, ſive ſuum quiſque filium, vel nepotem in numerum ſortientium referat, ſive unus alterius liberos cooptet ex compacto, facile unuſquiſque intelligit. Utroque enim caſu indulgetur adfectibus: utroque

fieri

fieri poteſt, ut inhabilis habiliori praeferatur: utroque fraus fit diſpoſitioni Teſtatoris, eiuſque conſilio, atque intentioni: neque quidquam inter eos eligendi modos intereſt, quam quod non per ſe quiſque, ſed alterius miniſterio, ac paene colluſione, filium, nepotem, pronepotemve ſuum eligit: quum tamen quod quiſque per alterum facit, id per ſe feciſſe videatur (1). Quandoquidem ergo inter omnes conſtat, ipſoque iure noſtro proditum eſt, eum, qui ſalvis verbis legis, vel diſpoſitionis ſententiam eius circumvenit, in fraudem legis, vel diſpoſitionis feciſſe, neque re ipſa diſtare fraudem ab eo, quod contra legem, vel diſpoſitionem fit (2): conſequens eſt, ut Senatores eligentes, dum collegae quiſque ſui filium, nepotem, pronepotemue ex compacto cooptarunt, non minus circumvenerint mentem voluntatemque Teſtatoris, quam ſi ſuum quiſque cooptaſſet. Quemadmodum enim Legiſlatoris, ita & Teſtatoris, qui legem rebus ſuis ſuo arbitrio dicit, mentem potius, quam verba, reſpici decet (3). Mens autem *Uſimbardi* procul dubio fuit, ne Senatores eligentes, ſi ſuos cooptare illis liceret, plus adfectibus, quam iudicio, darent. Quod tamen utraque cooptandi ratione fieri poſſe, paullo ante oſtendimus.

XII. Et quid opus eſt verbis, ubi V. res ipſa loquitur? Sane enim ſimulac duodecim Senatores eam ſibi viam ineundam putarunt, ut alter alterius filium, nepotem, pronepotemve cooptaret: conti-

git,

(1) *Cap. 72. de regul. iur. in 6.*
(2) *L. 30. D. de legib. -- L. 31. D. eod.*
(3) *L. 17. D. de legib. -- L. 69. D. de legat. III.*

git, quod vel maxime caveri voluerat *Uſimbardus*, puta ut & natura inhabilis in numero ſortientium eſſet, ad eumque miro fortunae iudicio ſucceſſio in fideicommiſſo deferretur. Quam inhabilem nominand: licentiam ſibi profecto numquam permiſiſſent Senatores; ſi litteram teſtamenti ſequuti, poſterorum ſuorum non habuiſſent rationem, ſed iuvenes extraneos elegiſſent, eaque in re ſatisfeciſſent Teſtatoris conſilio. Neque nos a ſententia noſtra dimovent eae, quas ſupra in contrarium adduximus, rationes.

XIII. Quamvis enim VI. quod ad primam attinet, nulla vis inferri videri poſſit verbis Teſtatoris, ſi eo modo explicentur, quo ea a Senatoribus eligentibus explicata eſſe obſervavimus: iam ſupra tamen oſtendimus, verborum iſtorum ex natura linguae, & communi loquendi more, non aliam eſſe poſſe ſententiam, quam quod *electa iſta duodecim ſubiecta non eſſe debeant vel filii, vel nepotes, vel pronepotes ex filio Senatorum eligentium*: adeoque, quod iſtos excluſos voluerit teſtator e numero ſortientium, ſolis iis admiſſis, qui eſſent ratione eligentium extranei.

XIV. Neque VII. movemur eo, quod aliquando numerus plurativus in ſuas ſingularitates reſolvi dicatur a ICtis. Id enim tum demum verum eſſe fatentur, quando in pluralitate, & quolibet ſingulari illius caſu aequalis viget ratio (1): Hic vero non aequalis viget utrobique ratio, quum non perinde conſilio, atque intentioni Teſtatoris ſatisfiat, ſu

(1) Brunnem. *in L. heredes* 57. §. 1. *D. ad SC. Trebell.* Vinc. Banch. *Tom. III. Conſil. illuſtr.* 26. *n.* 1.

Digitized by Google

ſi in ſenſu plurativo accipiantur verba teſtamenti, ac ſi ex Senatorum ſententia in ſuas ſingularitates reſolvantur. Priore enim ſenſu acceptis verbis, nulli adfectui locus relinquitur: quum poſterior interpretatio efficiat, ut Senatores naturali erga ſuos amori non minus indulgere poſſint, quam ſi ſuos ſinguli cooptarent.

XV. Praeterea VIII. & tertium, quod in contrarium adlatum eſt, argumentum parum ſolidum eſſe exiſtimamus: Neque enim ſequitur, ut qui Teſtator deſcendentes ex filiabus, vel nepotes ex fratribus non excluſit, is nec filios, nepotes, pronepoteſque ex filio excluſos voluerit. Praeterquam enim, quod ex fratribus nepotes non ſunt in deſcendentium numero, nemo ignorat, diverſos eſſe neceſſitudinum gradus, nec eumdem, quo illas complectimur, amorem. Quam maxime fervet amor in liberos, nepotes, pronepotes: & inter plures diverſi ſexus, ipſa teſte experientia, magis quiſque bene cupit filiis, quos gentem, ac familiam propagaturos ſperat, quam filiabus, gente ſua enupturis, multoque minus ſaltim nepotum, ac pronepotum ex filiabus, quam ex filiis deſcendentium, rebus ſtudere ſolent nobiles. Cuius rei ipſe *Uſimbardus* exemplum edidit luculentiſſimum, dum inſtituto filio ſuo *Vincentio*, fratribuſque ſuis quinque ordine natalium ſubſtitutis, *Fulviae* filiae unicae, eiuſque poſterorum nullam habuit rationem, ſed his extraneos a XII. Senatoribus eligendos praeferre non dubitavit. Potuit ergo idem *Uſimbardi* a fideicommiſſo repellere eligentium ſtirpem maſculam, ut non ideo repellendos iudicaret, & ex filiabus eo-

rum,

rum, vel fratribus prognatos, erga quos, tamquam a gente nomine, & familia ſua alienos, amor eſſe ſolet paullo remiſſior.

XVI. Poſtremo VIIII. non ideo credendum eſt, *Uſimbardum* Senatores odio habuiſſe, dum eos ſuos eligere vetuit. Satis enim eos honoravit, dum eos exiequi voluntatem ſuam voluit: neque inde conſequitur, ut ideo & ſuos eligendi facultatem iiſdem dare debuerit. Quemadmodum enim ei, cui ius eligendi datum eſt, non ideo datum cenſetur ius ſe ipſum eligendi, immo potius haec electio tamquam ambitioſa, irrita, nulliuſque momenti merito habetur: ita nec ex data facultate cooptandi colligendum eſt, datam etiam eſſe facultatem liberos ſuos cooptandi, maxime quum Teſtator mentem ſuam contrariam verbis luce meridiana clarioribus teſtatus ſit.

XVII. Quae quum ita ſint, nec contrarietas hic ulla obſervatur, quae interpretatione tam contorta tollenda ſit, adeoque certum potius, atque exploratum eſt, verbis, quibus *Io. Uſimbardus* voluntatem ſuam in tabulis ſuis expreſſit, omnium Senatorum eligentium, etiam iunctim ſumtorum filios, nepotes, pronepoteſve ex filiis a paſſiva nominatione eſſe excluſos.

XVIII. Ut iam ad *ſecundam* quaeſtionem progrediamur: argumentis non levibus defendi poſſe videtur, iure eligendi non excidiſſe XII. Senatores. Nam I. ipſum ſuae Regiae Celſitudinis reſcriptum, quo illis iniungitur electio ex praeſcripto teſtamenti ſuſcipienda, non poenam privationis iuris eligendi

(1) Coſtal. *in L.* 8. *D. de offic. praeſ.*

ligendi, ſed *poenam nullitatis* interminatur, ſi quid contra teſtamentum fecerint. Quumque in irrogandis poenis eum modum ſervent iura, ut eas benignius interpretandas exiſtiment (1): & in primis privationis poenam decerni nolint, niſi de ea expreſſo iure cautum ſit (2): aequiſſimum quis crediderit, in caſu, de quo iam diſquirimus, ſufficere poenam nullitatis, permittendumque eſſe Senatoribus, ut novam inſtituant electionem, culpamque priorem intentiore diligentia emendent.

XIX. Deinde II. plerique doctores eam imbiberunt ſententiam, eligentibus laicis hic plus indulgendum eſſe, quam clericis, idque ita interpretantur, ut hi iure ſuo excidant, ſi indignum, vel minus idoneum praeſentent, illi non item, ſed magis idoneum tantum nominare teneantur (3). Quo poſito, & Senatoribus eligentibus facilius videbitur ignoſcendum, quippe nec clericis, nec ad beneficium Eccleſiaſticum, ſed ad ſucceſſionem in bonis fideicommiſſariis idoneum quemdam eligere iuſſis.

XX. Si tamen recte ponamus calculum: I. ex teſtamento *Io. Uſimbardi*, ſatis intelligitur, electionem iſtam non modo directe ad ſucceſſionem in bonis a ſe fideicommiſſo obſtrictis, verum etiam indirecte, ac potiſſimum ad ſacrum Ordinem militarem S. Ste-

phani

(1) *L. pen. D. de poen.* -- *Cap.* 49. *de reg. iur. in* 6.

(2) *Novell.* XII. *Cap. III.* §. *quum igitur.* -- Hartm. Piſt. *II. Quaeſt.* 36. *n.* 13. -- Segura *de bon. mariti* & *uxor.* *n.* 2. *p.* 458. -- Carpz. *P. IIII. Conſt.* 43. *def.* 8. *n.* 3.

(3) Paull. *de* Citadin. *P.* 6. *art.* 2. *n.* 5. -- Rosbach. *Comparat. iur. civil.* & *canon. Lib. I. tit. I. n.* 8. 9. -- Ritterſ. *Differ. iur. civ.* & *can. Lib. VII. Cap. III.* -- Finckelth. *de iure patron. Cap. VII. n.* 14.

Digitized by Google

phani petiiſſe. Iuſſit enim ſingulos Senatores ſeniores eligere iuvenem, domo Florentinum, nobilem, & talem, qui ad habitum Ordinis militaris S. Stephani ex illius Ordinis legibus poſſit adſpirare. Ex eo vero conſequitur, ut haec electio in ſpecie noſtra non aliter ſit comparata, ac ſi eligendus beneficio cuidam Eccleſiaſtico ſit deſtinatus. Maxime cum celebrata prius Miſſa de Spiritu Sancto eam inſtitui Teſtator voluerit.

§. XXI. Iam II. non modo iuris canonici Interpretes in eo conveniunt, quod qui ſcientes, ac prudentes indignum, vel inhabilem elegerint, iure eligendi, quod ad eum caſum attinet, excidant, & tunc locus ſit iuri devolutionis, (1) ſed & Ill. ipſum ius civile diſerte cavet, ut ſi, qui a patronis eliguntur, ſacris regulis prohibeantur tamquam indigni ordinari, tunc ſanctiſſimus Epiſcopus, quoſcumque putaverit meliores, ordinari procuret. (2) Quod ſane aliter fieri non poteſt, quam ut iure eligendi, quod ad hunc actum, excidant patroni, idque ius ad ſuperiorem devolvatur.

§. XXII. Quid vero Ill. minus defendi, atque excuſari poteſt, quam quod domini Senatores eligentes filium Senatoris, natura ſurdum, & mutum, & in numerum ſortientium retulerint, & ad ſortem admiſerint, quum nec latere ullum potuerit hoc vitium, nec ignorare illi debuerint, his ſenſibus orbum ad ſacram S. Stephani Militiam adſpirare non poſſe? Quis ergo dubitet, quin eo ipſo, quod inhabilem ſcientes nominarint, iure illo ſuo exci-de-

(1) Lauren. *de foro beneſ.* *P. II. qu.* 739. -- Petr. de Murga *de beneſ. Eccleſ. qu. CXI. n.* 486.

(2) *Novell.* CXXIII. *Cap.* *XVIII.*

derint? Neque eſt, quod rationibus ſupra adductis in contrarium moveamur.

XXIII. Quamvis enim V. quod ad primam attinet, reſcriptum ſuae Regiae Celſitudinis non niſi poenam nullitatis interminetur: id tamen magis ad electum, quam ad eligentes pertinet. Poena vero privationis non tam ex reſcripti iſtius interpretatione, quam ex ipſo iure poſitivo, maxime *Novella CXXIII. Cap. XVIII.* ceu paullo ante oſtendimus, provenit, ut adeo non deſit ius expreſſum, quo ea poena irrogatur.

XXIV. Denique VI. quamvis illa diſtinctio inter eligentes clericos, & laicos haud paucis adriſerit: eam tamen omni praeſidio deſtitui, nec ullum niſi in fingentium ingenio reperire fundamentum, vel inde patet, quod *Nov. CXXIII.* diſerte de patronis laicis loquatur [1]: *Si quis Oratorii domum fabricaverit, & voluerit in ea clericos ordinare, aut ipſe, aut* eius heredes; Ac proinde nobis haud videtur dubitandum, Senatores illos Florentinos, dum ſcientes inhabilem nominatunt, & ad ſortiendum admiſerunt, non modo nihil egiſſe, ſed & iure illo nominandi omnino excidiſſe.

Ex quo ſimul *Tertia Quaeſtio* facile ſolvitur. Quum & iure civili [2], & iure canonico per textus notiſſimos locus ſit iuri devolutionis: idque in eo poſitum ſit, ut immediate ſuperior, excluſis iis, quibus antea ius nominandi erat, digniorem, habilioremque eligat: praeſente vero caſu procul dubio ſua Regia Celſitudo tum qua Princeps, tum

(1) *d. Cap. XVIII.*
(2) *Nov. CXXIII. Cap. XVIII.*

Digitized by Google

rum qua Magiſter S. Militiae S. Stephani ſuperioris locum ſine medio obtinet: ad altefatam Regiam Celſitudinem ius eligendi ſucceſſorem in bonis *Uſimbardianis* devolutum eſſe ſtatuimus. Idque de iure.

NOMINE FACULTATIS IURIDICAE,
Menſe Iunio 1741.

F I N I S.

Digitized by Google

EMENDANDA.

Pagina	*linea*	*lege*
17.	24.	Germania
66.	11.	urbe
7[illegible]	5.	adquiſitam
74. in Not.	6.	monetariam
85.	28.	haec
99.	8.	Miltiades
112.	1.	Dioeceſes
118.	24.	forma
124.	27.	adfectarent
132.	26.	Princeps.
139.	9.	retrotrahi
140.	4.	abrogari

Digitized by Google

Digitized by Google